LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
16 8 '16

A. E. J. HOLWERDA.

DISPUTATIO

DE

Dispositione verborum in lingua Graeca, in lingua Latina

ET APUD PLUTARCHUM.

ACCEDUNT

COMMENTARIOLI AD LIBROS

DE ISIDE ET OSIRIDE ET DE GENIO SOCRATIS.

DISPUTATIO

DE

DISPOSITIONE VERBORUM

IN LINGUA GRAECA, IN LINGUA LATINA

ET APUD PLUTARCHUM.

ACCEDUNT COMMENTARIOLI AD LIBROS

DE ISIDE ET OSIRIDE ET DE GENIO SOCRATIS.

Trajecti ad Rhenum Typus J. van Boekhoven.

SPECIMEN LITERARIUM

CONTINENS

DISPUTATIONEM DE DISPOSITIONE VERBORUM

IN LINGUA GRAECA, IN LINGUA LATINA ET APUD PLUTARCHUM,

CUI ACCEDUNT COMMENTARIOLI IN LIBROS

DE ISIDE ET OSIRIDE ET DE GENIO SOCRATIS,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI BEETS,

THEOL. ET LIT. HUM. DOCT. ET IN FAC. THEOL. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

ANTONIUS EWALDUS JANUS HOLWERDA,

GORINCHEMENSIS

KALENDIS MAIIS A. MDCCCLXXVIII, HORA III POM.

TRAIECTI AD RHENUM

APUD A. J. VAN HUFFEL,

MDCCCLXXVIII.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

L. S.

Omnibus iis qui studia mea modo quocunque adiuverunt, maximas habeo gatias. Tibi imprimis, carissime Pater, qui mihi a pueritia et consiliis tuis et exemplo semper adfuisti. Vobis etiam professoribus Utrajectinis, BRILLI, OPZOOMERI, HERWERDENE, *quorum institutionibus atque consiliis multum debeo, ex quibusque Tu* HERWERDENE, *Promotor mihi ita exstitissi, ut celeritas, qua mihi opitulari soleres auxilium tuum identidem imploranti, tantum superaretur prudentia. Quam semper mihi grata est tui imprimis memoria, optime* BRILLI, *qui mihi non tantum praeceptor egregius, sed verus quoque semper amicus, et saepe vel meorum commodorum patronus fuisti. Multa habet studium literarum egregia, quibus animum firmat atque erigit, mihi tamen hoc quoque semper pergratum fuit, quod jucundissimam mihi solet eorum memoriam revocare, qui studiis meis, temporibus illis multo iis his quae nunc sunt propitioribus, aut duces interfuerunt aut commilitones.*

Sed simul cum laeta vivorum recordatione tristi quoque affligitur animus mortuorum desiderio. Quam vellem tu

speciminis mei defensioni adesse posses, optime ROVERS, *cum quo dulcissimum erat in hoc disputationum campo decertare, et, qua eras humanitate simul et sancto veritatis studio, vinci quoque atque corrigi. Sed fata hoc noluerunt. Manet tamen tuae benevolentiae atque animi insignis sinceritatis discipulorum tuorum pia recordatio.*

De libello meo benevole simul et severe judicetis. Typographorum plagulas correxi, quam potui accurratissime; vereor tamen, ut satis accurate. Sane pluribus offenderemini et typographorum vitiis et mei calami, nisi Promotor, qua erat erga me benevolentia, plerasque plagulas, antequam prelo subiicerentur, perlustrare voluisset.

Scribebam Schiedami anno MDCCCLXXVIII mense Aprili.

INDEX.

Disputatio de dispositione verborum in lingua Graeca, in lingua Latina et apud Plutarchum legitur inde a pag. 1.

Commentariolus ad librum de Iside et Osiride „ „ „ „ 101.

Commentariolus ad librum de Genio Socratis „ „ „ „ 128.

DISPUTATIO DE DISPOSITIONE VERBORUM IN LINGUA GRAECA, IN LINGUA LATINA ET APUD PLUTARCHUM.

Multum me, cum primum legerem Plutarchi Moralia, offendebat ejus in libris haud paucis singularis quaedam disponendorum vocabulorum ratio, qua mihi a consuetudine linguae Graecae, et ejus tanquam certa sententiarum norma, insigniter videbatur discedere. Hoc tamen cum esse aliquid videretur fortuiti, initio plane neglexi, et aliud mihi nihil agendum esse existimavi, nisi ut crebriore lectione sensim paulatimque animum meum Plutarchi singulari stilo adsuefacerem. Deinde tamen, cum jam commentarios conscribere in libros nonnullos ex Moralibus constituissem, et plurimarum inde sententiarum Plutarchearum interius conspicere rationes coepissem, tandem rei, quae omni antea carere videbatur ratione, subiit animum quaedam intelligentia. Nam animadvertere mihi videbar haud paucas sententias Plutarcheas tanquam pondere suo inclinare versus fines, et cum hoc statuerem esse sententiarum Latinarum, suspicari jam coepi, ex eo depravatam esse orationem Plutarcheam, quod colorem quendam traxisset Latinitatis. Etiam huic tamen rei non multum tribuebam initio; videbatur enim incredibilior; nec fortasse dignam eam judicassem, de qua diligentiore disquisitione statuerem, nisi statim tot locos animadvertissem, quibus confirmari videretur. Jam igitur in rem inquirendum esse constitui, et quidem locos illos ad normam sententiarum et Graecarum et

Latinarum exigendo. Sed hoc multo difficilius fuit, quam initio videbatur. Nam cum normas illas, quales essent, sentirem magis, quam intelligerem, et a viris doctis linguarum illarum vocabulorum disponendorum rationem parum explicatam viderem, ipsi mihi hanc provinciam administrandam esse intellexi, antequam ad orationem Plutarcheam reverterer. Hoc igitur, quoad potui, perfeci; in fine disputationis cum Graecis atque Latinis comparavi Plutarchea. Egi, ut videtis, de rebus ratione satis variis; me tamen non disputasse, tanquam per saturam, de iis inter quae conjunctio nulla esset, intellexeritis.

§ 1. Nascebatur linguis antiquis magna quaedam vocabulorum libere disponendorum facultas ex eorum certis illis *suffixis*, quibus casus, personae, numeri, tempora, modi indicabantur. Nam cum sic, quid quodque vocabulum ad sententiam valeret, statim perspiceretur, atque ea quae grammatice cohaererent, etiamsi loco disjungerentur, tamen quia suffixorum inter se necessitudo suaderet, facillime mente iterum conjungerentur, — intelligitur antiquos neque singulas quasdem sententiae partes, (subjectum, copulam, praedicatum) certo loco designare debuisse, neque etiam vicinia in sententia nomina conjungere, quae jam casuum similitudine cohaererent. Apud nos igitur, — imprimis ubi nomina sunt generis feminini; horum enim accusativi nulla suffixorum dissimilitudine a nominativis distinguuntur, — plerumque subjectum verbum praecedit, objectum sequitur; ut e. g. discedere non possimus ab hoc vocabulorum ordine: *de dochter bemint de moeder;* Graeci contra nullis talibus finibus coërcentur, sed exprimunt sententiae quandam varietatem dicendo: *ἡ θυγάτηρ ἀγαπᾷ τὴν μητέρα,* aut *ἀγαπᾷ τὴν μητέρα ἡ θυγάτηρ*, aut *ἡ θυγάτηρ τὴν μητέρα ἀγαπᾷ.* Possumus sane dicere: *den vader bemint de dochter*; dicimus tamen rarius. Eodem modo nos semper fere adjectiva praeponimus substantivis, adverbia verbis, Graeci contra et

anteponunt et postponunt, et conjungunt et disjungunt. Jam igitur hoc satis erit intellectum in linguis recentioribus vocabulorum rationem grammaticalem indicari ét *suffixis* ét loco, quo ponantur in sententia, in linguis contra antiquis tantum *suffixis*, ut loci varietates ibi in alios usus reservari potuerint.

§ 2. Hac tamen linguae facultate Graeci satis temperanter sunt usi. Universe enim vere dici potest, — quamquam res deinde et explicatius exponenda erit, et accuratius, — Graecos semper graviora praeponere minus gravibus. Inde igitur intelligimus, cur tot sententiae Graecae a verbo ordiantur. In verbo enim quasi tota sententia contrahitur, ut caeterae orationis partes amplificent tantum, quod verbum contineat. Ex his tamen verbi amplificationibus subjectum saepissime vel ipsum verbum gravitate praecedit; saepissime etiam conjunctiones, vel aliae temporum, vel locorum definitiones, a quibus tota sententia pendeat. Paulo rarius videbis in initio objecta, vel dativos, vel nomina cum praepositione, ubi, ut apparet, dignitate loci satis sunt conspicua. Harum igitur dispositionum vocabulorum singularum adponam exempla, quibus iis praeeam, qui ipsi de re statuere velint. Habet igitur Xenophon verba in initio in hisce: *Ἡγήσομαι δὲ αὐτὸς ἐγώ, ἔνθεν πολλὰ χρήματα λήψεσθε (Anab: V. 7, 24.)*; *Ἐπέστελλον δὲ ταῦτα καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῷ Ξενοφῶντι, ὡς διαβεβλημένος εἴη καὶ φυλάττεσθαι δέοι (eod. libro VII, 6, 44.)*; *συνεκάλεσεν ὁ Κῦρος τοὺς ἑαυτοῦ ταξιάρχους (Cyr. IV, 1, 10.)*. Ubi vero disertius dicitur, a quonam res gesta sit, quam ipsum hoc, esse eam gestam, dicunt v. c. *Καὶ Χειρίσοφος μὲν ἐνέβαινε καὶ οἱ σὺν αὐτῷ. ὁ δὲ Ξενοφῶν . . . . ἔθει ἀνὰ κράτος (Anab. IV, 3, 20.)*; quibus verbis minus diserte perhibetur *esse intratum* et *esse cursum*, quam esse intratum *a Chirisopho*, cursum *a Xenophonte*. Quot autem sententiae ordiantur a conjunctionibus, aut adverbiis, qualia sunt *ἐνταῦθα, ἐπεί, ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ* aliaque, omnes novimus. Objectum in initio habes in verbis hisce: *Τοὺς γαρ ξένους, ἐξ οὗ ὅ τε Σίνις καὶ ὁ Σκείρων καὶ ὁ Προκρούστης ἀπέθανον, οὐδεὶς*

ἔτι ἀδικεῖ (*Xenoph. Mem. II*, 1, 14.); ubi non imprimis sermo est de τῷ οὐκ ἀδικεῖν, sed de τῷ οὐκ ἀδικεῖν *hospites*,— non alios quoscumque, sed hospites, τοὺς ξένους. Eodem modo urguetur objectum in hoc loco: *Καὶ μὴν τοὺς ἱππέας οἱ μὲν πολέμιοι αὐτοὶ παρετάξαντο, ὥσπερ ὁπλιτῶν φάλαγγα κτλ* (*Hell. VII*, 5, 23.), et in multis aliis. Verbum habes in fine in hisce: *ἅλας τε δῆλον ὅτι καὶ ἐλάας καὶ τυρὸν, καὶ βολβοὺς καὶ λάχανα, οἷα δὴ ἐν ἀγροῖς ἑψήματα, ἑψήσονται* (*Plat. de Republ. II*, 372, *C.*), ubi parum urguetur.

§ 3. Pluribus dicendum erit de nominum, quae casus similitudine cohaereant, disjunctione. Etiam hic enim id quod praecedit nomen, eo quod sequitur magis urguetur. Sed cum in locis haud paucis sententiae ratio nullam pateretur disjunctionem, in aliis contra vel multis alienis vocabulis nomina disjungerentur, hoc imprimis, cur in aliis disjungi potuerit, in aliis non potuerit, accuratius explicandum est. Quod faciam varia disjunctionum tanquam genera proponendo.

Prius tamen hoc monebo de re universe. Conjuncta esse nomina, ut notum est, aut possunt *adtributive*, i. e. ita ut conjuncta esse credantur, jam antequam in sententia ea proponamus, aut ita ut per ipsam demum sententiam conjungantur. Jam vere hoc dici potest in Graecis disjungi non potuisse *adtributa*, caetera potuisse. De his igitur, quae potuerunt, videndum est.

§ 4. Et primum quidem nemo miratur, si a subjecto disjungitur praedicatum (i. e. si disjunguntur duo nominativi, qui per verbum substantivum, per φαίνομαι, taliaque cohaereant), aut, ubi verbum duplex juxta se habet objectum (v. c. verbum ποιεῖν, ποιεῖν τινά τι), accusativus ab accusativo, objectum ab objecto. Haec enim per verbum demum sententiae conjunguntur; nil igitur mirum, si disjuncta etiam in sententia apparent. Per se quodque haec nomina, — subjectum ac praedicatum aut duo objecta, — in sententia constant, et ad verbum singulatim referenda sunt. Quocirca aut alienis vocabulis distinentur, aut saltem ubi

alterum forte positum est juxta alterum, debemus tamen disjungere separatim eloquendo, sic v. c. μεγάλην et τὴν πόλιν in loco hoce Platonis: καί φασι μεγάλην τὴν πόλιν πεποιηκέναι αὐτούς. (*Gorg.* 518 *E.*). Quam sint autem apud nos quoque praedicata referenda ad verba, jam inde apparet, quod in modum adverbiorum, qualia sunt v. c. *wijd, vlak, lang,* omnem respuunt per casus distinctionem.

§ 5. Alterum genus est duorum accusativorum adjunctorum verbo, quod non desideret duplex objectum. Hoc enim ab illis ratione nonnihil diversum est. Exemplum esto sententia haec Thucydidea: κατάσκοπον ἐς τὴν Χίον πέμψαντες Φρῦνιν (VIII, 6, 4.). Res ceteroquin satis nota. Sed etiam in talibus apparet alterum accusativum, κατάσκοπον, ad verbum potius esse referendum, quam ad nomen alterum, Φρῦνιν. Per κατάσκοπον enim mittendi potius quaedam ratio explicatur, quam nominis Phrynidis tanquam per adjectivum amplificetur notio. Quod etiam nos indicamus vertendo: *als verspieder*; est enim haec locutio adverbialis. Sed ex his jam apparet hoc genus duplicum accusativorum ab illo, — volo id, ubi verbum duplex habet objectum, — verborum magis significatione differre quam sua ipsorum. Utrumque accusativum vertimus locutione adverbiali, alterum per *maken tot*, alterum per *zenden als.* Sed haec de substantivis, ut ita dicam, adverbialibus. Haud aliter tamen verbis audiendi, videndi, aliisque participium in accusativo simul cum objecto adjungitur, aut ubi sunt passiva, nominativus simul cum subjecto. In quibus nos adverbialem participiorum naturam adtestamur omni ea privando casuum distinctione. Dicere enim possumus v. e. *ik zag hem klimmend langs den wand,* licet in talibus Infinitivos praeferamus.

§ 6. Sed cum substantivis nemo conjuncta esse debere arbitrabitur substantiva aut participia; de adjectivorum igitur a substantivis disjunctione videndum est. Et primum quidem hic commemoranda sunt illa adjectiva, — qualia sunt v. c. ἑκών, ἄκων, ea quae desinunt in αῖος, — quae etiam a gram-

maticis dici solent munere fungi adverbiorum, sic v. c. *Madvig Grieksche Syntaxis* § 56. Sed haec, ut apparet, per se in sententia constant et ad verbum potius referenda sunt, quam ad substantivum. Exemplum esto: *Εἴ τίς που τῶν συνθετικῶν ἐπιστημῶν πρᾶγμα ὁτιοῦν τῶν αὐτῆς ἔργων..... ἑκοῦσα ἐκ μοχθηρῶν καὶ χρηστῶν τινων ξυνίστησιν* (*Plat. Politic.* 308, *C.*). Paene praedicative *τελευταίους* ponitur in: *τελευταίους μέντοι στήσω τοὺς ἐπὶ πᾶσι καλουμένους* (*Xenoph. Cyrop VI*, 3, 25.).

§ 7. Ab his ratione parum diversa sunt adjectiva, quibus numerus indicatur aut mensura. Haec enim, cum notiones eorum nominibus substantivis extrinsecus magis accedant, quam explicent horum ipsorum quodammodo interiorem rationem, facillime partes suscipiunt adverbiorum. Sunt hujus igitur generis: *πᾶς, ὅλος, μόνος, πολύς, ὀλίγος, κοινός, μέσος, μικρός, μέγας, βραχύς*, etc. Adverbialem naturam eorum cognoscas ex hisce: *μέγαλα δ' ἔγωγε ὑμῖν τεκμήρια παρέξομαι τούτων* (*Plat. Apol.* 32, *A.*); ubi conjuncta nomina *μεγάλα τεκμήρια* haud alio modo a disjunctis differrent, ac differt v. c. si caupo Belgicus dicit: *ik kan u groote of kleine dingen leveren, al naar gij verkiest,* ab hac sententia: *ik kan ze u groot of klein leveren, al naar gij verkiest.* Exempla alia apponam haece: *ὁ ἄνεμος ἐκπνεῖ μέγας* (*Thucyd. VI.* 104.); *πᾶσαν ὑμῖν τὴν ἀλήθειαν ἐρῶ* (*Plat. Apol.* 20, *D.*); *τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις* (*Dem. pro coron. init.*); *πολλὰς γὰρ δὴ ἔτι ἔχει ὑποψίας καὶ ἀντιλαβάς* (*Plat. Phaed.* 84, *C.*) Eodemmodo a substantivis sejunguntur numeralia cardinalia, quae in lingua nostra casuum distinctione carent: *ἐκέλευε τριηκοσίας ἐπικέσθαι μάστιγι πληγάς* (*Herod. VIII*, 34).

§ 8. Sed usus hic multo latius patet. Haud raro enim disjunguntur etiam nomina, quae nos aut conjungeremus, aut saltem praeferremus conjuncta disjunctis. Dicit v. c. Thucyd.: — ut jam exempla proferam, — *χάριν ἀπομεμνήσεσθαι ἀξίαν* (I 137, 3.), aut Plato: *ἐπιεικῆ ἄν μοι δοκῶ πρὸς τοῦτον λέγειν λόγον* (*Apol.* 34, *D.*). Quae, ut rationem eorum intelligas, compares v. c. cum nostris: *voldoende dank betalen, een woord passend*

zeggen, quae nonnihil distant ab: *een passend woord zeggen, voldoenden dank betalen.* Minus res patet in his: λόγον μὲν οὐδένα ἐβουλόμην θρασύν, οὐδ' ἔχοντα μάταιον μῆκος εὑρεῖν (*Demosth. de symm. p.* 183 *fin.*) In iis tamen non dicit Demosthenes se λόγον aliquem θρασύν, — i. e. aliquem ex λόγων genere θρασεῖ, — invenire noluisse, sed λόγον, quem commentatus esset, commentari noluisse θρασύν. Idem Demosthenes dicit *in Timocr. p.* 764 γνοίη δ' ἄν τις οὕτω μάλισθ', ἡλίκα πράγματα συσκευάσας γέγραφεν αὐτὸν ....., εἰ λογίσαιτο, ὅτι πάντες ὅταν που καταλύοντες τὸν δῆμον πράγμασι ἐγχειρῶσιν νεωτέροις τοῦτο ποιοῦσι. In his νεωτέροις referendum est ad ἐγχειρῶσι. Nam τοῦ ἐγχειρεῖν πράγμασι variae sunt rationes, — quod apparet ex illo ἡλίκα πράγματα συσκευάσας, — quarum rationum una est πράγμασι ἐγχειρεῖν νεωτέροις. Insolentius sane nos diceremus: *zaken revolutionair aanvatten*, sed ratione ab hoc non distat: *een stout opgevat plan.* Paulo ante eodem loco hoc habet Demosthenes: ὑμᾶς δόξης ἀναπιμπλάναι φαύλης; in quibus aeque potuerunt nomina disjungi. Implendi enim aliquem δόξης variae sunt rationes aut genera, φαύλης, ἀγαθῆς etc., quemadmodum λόγον possumus invenire ἐπιεικῆ, θρασύν etc.; alius enim oratoris est cives δόξης ἀναπιμπλάναι φαύλης, alius, hoc honestioris, ἀγαθῆς, alius alia quacunque. Xenoph. *Cyr. I* 4, 7 haec dicit: Ἀστυάγης..... φύλακας συμπέμπει ἐφ' ἵππων πρεσβυτέρους. Nomina hic potuerunt disjungi; nam alii alios fortasse missuri fuissent φύλακας, Astyages certo consilio mittit eos πρεσβυτέρους, ὅπως, — sic pergit ipse Xenophon, — ἀπὸ τῶν δυσχωριῶν φυλάττοιεν αὐτόν. Exemplis Belgicis, quae jam adtuli, hoc addam: *de eene boekverkooper verkoopt de boeken oud, de andere nieuw.* Sed melius etiam hic res intelligetur ex comparatione cum nominibus conjunctis. Sic v. c. Platonis, μεθύοντα ἄνδρα πάνυ σφόδρα δέξεσθε συμπότην (*Symp.* 212, *E.*) haud aliter distat ab ἄνδρα δέξεσθαι μεθύοντα, ac nostrum: *een dronken man ontvangen* a sententia hace: *een man dronken ontvangen.* In hoc igitur μεθύοντα eodem modo verbo adjungatur, ac in illo συμπότην, sc. adverbialiter, *als drinkgenoot. Dronken wil ik de lieden niet ont-*

vangen, diceret v. c. caupo honestus, qui licet victum quaerat ex hominibus in tabernam suam recipiendis, tamen recipere eos nolit ebrios atque tumultuosos.

§ 9. Sed imprimis adhibenda sunt exempla, in quibus nomina ne possint quidem disjungi. Sic v. c. in verbis Platonis: *μὴ κάμῃς φίλον ἄνδρα εὐεργετῶν* (*Gorg.* 470, *C.*), nemo disjunget *φίλον* ab *ἄνδρα*. Non enim certa ratio est *τοῦ εὐεργετεῖν ἄνδρα*, *εὐεργετεῖν* eum *φίλον*, ratio ut alia sit v. c. *εὐεργετεῖν* eum *ἐχθρόν*, vel alium quemcunque. Universe dici potest a nominibus, quae sunt subjecta verborum transitivorum, non disjungi adjectiva. Praeter enim subjectum ad verbum transitivum nominativus nullus referri potest. Sic v. c. non disjungi possunt adjectiva a substantivis in hisce: *Οὐκ ἂν.... ὀρθά ποτ' ἂν δικαστὴς ἄκρος ἐδόξαζεν ἄνευ ἐπιστήμης* (*Plat Theaetet.* 201, *C.*); vel *κακή* ab *ἐπιθυμία* in his: *ἐκείνῳ διαλεγόμενος..... ὃν ἐπιθυμία κακὴ παρακαλοῦσα μεθ' ἡμέραν τε καὶ ἐπεγείρουσα νύκτωρ, ἐπί τι τῶν ἱερῶν ἄγει συλήσοντα* (*Plat. de leg. IX.* 854, *B.*).

§ 10. Verbis contra intransitivis, — quod ab hoc loco non alienum est monere, — saepissime accedit sejunctus nominativus. Sic v. c. in verbis Xenophontis: *πρέσβεις ἦλθον αὐτοκράτορες Ἀθήναζε* (*Hell. VII*, 1, 1.). In verbis hisce: *καὶ πλοῖα πλεῖ ἐν αὐταῖς σιταγωγά* (*Anab. I*, 7, 15.) non disjungi potuissent nomina, nisi cogitari possent varia *πλῶν* genera, aliud *πλοίων σιταγωγῶν*, ut haec imprimis in flumine navigarent, aliud aliorum.

§ 11. Sed quemadmodum his verbis duplex subjectum adjungitur, sic haud raro verbis *εἶναι* et *γίγνεσθαι* duplex praedicatum. Dicit v. c. Plato: *Θεμιστοκλέα οὐκ ἀγαθὸν ἂν φαίης ἄνδρα γεγονέναι* (*Men.* 93, *B.*); in quibus *ἀγαθὸν* referri potest ad *γεγονέναι* separatim ab *ἄνδρα*. Eodem modo *κενήν* referendum est ad verbum *εἶναι* in loco Demosthenis: *Τὸ μὲν οὖν ἐπίορκον καὶ ἄπιστον καλεῖν ἄνευ τοῦ τὰ πεπραγμένα δεικνύναι λοιδορίαν εἶναί τις ἂν φήσειε κενὴν δικαίως* (*Olynth. II*, 19.). Haud aliter nos dicimus v. c.: *ik zeg*,

dat dit eene beschimping is, onwaar en onrechtvaardig. Alio loco (*de Symm.* 178, *med.*) dicit idem: *Ἐγὼ δ' ἐκείνων μὲν ἔπαινον τὸν χρόνον ἡγοῦμαι μέγιστον*, in quo *ἔπαινον* et *μέγιστον* utrumque referendum est ad verbum substantivum, quod animo adjungendum est verbo *ἡγοῦμαι*. Exemplum duplicis praedicati juxta verbum substantivum positum impersonale habes in hoce: *παλαιὸς μὲν οὖν ἔστι τις λόγος* (*Plat. Thaed.* 70, *C.*).

§ 12. Aliud genus disjunctionum adjectivorum a substantivis est eorum, quae dicere solemus *apposita*. Haec enim sententiis tanquam in parenthesi inseruntur, ut fere per *scilicet* quoddam vel *et quidem* ad alterum nomen referenda sint. Et primum quidem huc pertinet magnus ille numerus *adtributorum* praeponendo pronomen aut articulum in *apposita* versorum. Adjectivum enim cum articulo, ut notum est, idem paene valet in lingua Graeca, ac sententia relativa. Horum igitur a substantivo suo disjunctorum haec exempla sunto: *τῆς ὀρθῆς τυχεῖν παιδείας* (*Plat. de Republ. III*, 416, *C.*); *κακὰ δ' ἐργαζόμενα τὰ μέγιστα τὴν πόλιν* (*Demosth. de Pac.* 58.); *φήσομεν ἐκείνους τοὺς ἀληθινοὺς εἶναι προγόνους ἡμῶν* (*Plat. Tim.* 26, *D.*); *δαιμονίᾳ τινὶ καὶ θείᾳ παντάπασι ἔοικεν εὐεργεσίᾳ* (*Demosth. Olynth. II*, 18). Eodem modo apposita sunt adjectiva, quae per particulas, quales sunt v. c. *οὐκ* et *οὐδέ*, a substantivo suo disjunguntur, sic v. c. in hisce: *οὐκ ανθρώπινον σὲ κακὸν οὐδὲ θεῖον κινεῖ τὸ νῦν ἐπὶ τὴν ἱεροσυλίαν προτρέπον ἰέναι* (*Plat. de Leg. loco supra cit. IX*, 854, *B.*). Sexcenties tamen, ut intelligitur, apposita ponuntur juxta substantiva, licet semper per se constent.

§ 13. Ejusdem generis sunt disjunctiones pronominum relativorum et demonstrativorum. Horum enim haec ratio est, ut aut ipsa sint apposita substantivorum, aut substantiva ipsorum. Nam pronomina haec eadem universius significant, quae substantiva, quibus apponuntur explicatius; quocirca non dici possunt, eodem modo quo adtributa, una cum substantivo notionem paene unam efficere. Quae eorum natura jam ex eo cognosci poterit, quod haud raro substantivum

tanquam articulo ab iis sejungitur (οὗτος ὁ ἀνήρ); imprimis tamen ex locis illis satis multis, in quibus, ut dici solet, antecedens post relativum transpositum est; cujus generis v. c. haec sunt: Πολλοὶ τὰ χρήματα καταναλώσαντες, ὧν πρόσθεν ἀπείχοντο κερδῶν, αἰσχρὰ νομίζοντες, τούτων οὐκέτι ἀπέχονται (*Xenoph. Mem. I*, 2, 22.), et Κῦρος, εἴ τινα ὁρῴη κατασκευάζοντα, ἧς ἄρχοι χώρας, καὶ προσόδους ποιοῦντα, οὐδένα ἂν πώποτε ἀφείλετο (*Anab. I*, 9, 19.). *Vid. Madv. Grieksche syntax.* § 106. Harum enim sententiarum non haec capita sunt, ut a κέρδεσι asseveretur πολλοὺς abstinere, aut χώραν dicatur aliquis κατασκευάζειν, — quae si dicere voluisset, dixissit ἀπέχονται κερδῶν, ὧν, et κατασκευάζοντα τὴν χώραν, ἧς ἄρχοι, — sed hoc dicere voluit Xenophon τοὺς πολλούς illos jam non abstinere ab iis rebus, a quibus antea abstinerent, et, id aliquem κατασκευάζειν, οὗ ἄρχοι. Quae autem essent ea, a quibus abstinerent, et id, οὗ ἄρχοι, haec addidit in modum paene parentheseos per κερδῶν et χώρας. Quocirca recte haec dici possent relativorum apposita. Demonstrativa autem sine articulo poni posse appositive jam ante me animadverterunt alii (*Madvig libr. cit.* § 11 *Aanm.*).

§ 14. Harum igitur disjunctionum, pronominum a substantivis haec exempla sunto: καιρὸς ἥκει τις (*Demosth. Olynth. III*, 30.); εἰ τοίνυν ὁ Φίλιππος τότε ταύτην ἔσχε τὴν γνώμην (*Phil. I*, 41.), eodem loco paucis post: ὅτι ταῦτα μέν ἐστιν ἅπαντα τὰ χωρία ἆθλα τοῦ πολέμου κειμένα ἐν μέσῳ; et *p.* 42 καὶ ὑμεῖς ἐπὶ τῆς τοιαύτης ἐθελήσητε γένεσθαι γνώμης νῦν. Addenda his exempla illa antecedentium post relativum transpositorum. Sed est disjunctionum horum, aeque ac adjectivorum illorum cum articulo, numerus paene infinitus.

§ 15. Disjunctionum vero, substantivorum a substantivis unum tantum notavi exemplum, hoc: ἔδοξαν πολεμίους ὁρᾶν ἱππέας (*Xenoph. Anab. II*, 2, 14.); in quo πολεμίους vix esse potest adjectivum.

§ 16. Eodem tamen modo, quo nomina casuum similitudine cohaerent, pendere quoque potest a nomine altero nomen in casu

obliquo, imprimis in genitivo. Hinc igitur operae pretium est etiam de horum disjunctionibus pauca monere. Referri debent etiam genitivi disjuncti ad verbum, aut ubi sunt apposita, muniti articulo etiam hi in modum parentheseos sententiis inseruntur. Referri autem eos debere ad verbum, jam inde apparet, quod saepissime salva sententiae summa aut in alios casus, aut in nomina cum praepositione, quae verbo eodem modo fere accedunt ac adverbia, verti possunt. Sic v. c. ut exempla jam proferam, in Xenoph. loco (*Anab. I*, 10 *init.*): *Ἐνταῦθα δὴ Κύρου ἀποτέμνεται ἡ κεφαλή*, genitivus idem paene valet, quod valeret dativus; in loco supra cit.: *Μεγάλα δ' ἔγωγε ὑμῖν τεκμηρια παρέξομαι τούτων* (*Plat. Apol.* 32.), *τούτων* vertatur per *dienaangaande*, *dienaangaande zal ik u bewijzen verschaffen;* in *ἐάν τέ τις βούληται ὑμῶν* (*Plat. Crit.* 51 *C.*), *ὑμῶν* idem valet, ac *ex vobis.* Quid quod vel in hisce: *ἥκιστα παράνομοι τότε αἱ ὄψεις φαντάζονται τῶν ἐνυπνίων* (*Plat. de Republ. IX*, 572 *B.*), genitivus a substantivo disjungitur, quia cogitari possint *αἱ ὄψεις φαντάζεσθαι ἐν τοῖς ἐνυπνίοις.* Sed neque in verbis Demosthenis (*pro Coron* 242.): *ὁ τὴν Ἀλεξάνδρου ξενίαν ὀνειδίζων ἐμοί*, aliquis referet genitivum ad verbum, nec in hisce: *οὔτε Φιλίππου ξένον, οὔτ' Ἀλεξάνδρου φίλον εἴποιμ' ἄν ἐγώ σε*, (*idem eodem loco*) referre poteritis, nisi ipsa sententia mutata. Distat enim a Demosthenis sententia v. c. haec: *οὔτε ξένον ἄν εἴποιμι ἐγώ σε Φιλίππου, οὔτε φίλον Ἀλεξάνδρου*, in qua ut vides, genitivi referendi sunt ad verbum; sic idem paucis post haec dicit: *ἀλλὰ μισθωτὸν ἐγώ σε Φιλίππου πρότερον καὶ νῦν Ἀλεξάνδρου καλῶ.* Juxta *εἶναι* praeterea separatum genitivum vides in hisce: *διὰ τὴν ποίησιν οἰομένων καὶ τὰ ἀλλὰ σοφωτάτων εἶναι ἀνθρώπων* (*Plat. Apol.* 22 *C.*). Sejunctum appositum habes in sententia hace: *ὑπὸ τὸν τρίβωνα κατακλινεὶς τὸν τουτονί* (*Symp.* 219 *B.*).

§ 17. Haec igitur apud optimos scriptores disjungendorum nominum ratio est. Adtributa a substantivis disjuncta inveniuntur tantum hic illic in Thucydide. Sic v. c. in uno *libro tertio* legimus: *τὸ δὲ τεῖχος ἦν τῶν Πελοποννησίων τοιόνδε*

τῇ οἰκοδομήσει (c. 21, 1.), in quo genit. τῶν Πελοποννησίων sustentari debuisset per τὸ; et: εἷς δ' ἐπὶ τῇ ἔξω τάφρῳ τοξότης ἐλήφθη (c. 24, 3.), in quo εἷς referri non potest ad ἐλήφθη, — quod si posset, dicere voluisset, aliquem sagittarium unum, solum, esse correptum; nunc tamen conjungi debet cum τοξότης. Sed haec sunt fere ex iis, quae, ut nos dicere solemus, confirmant leges ab iis discedendo. Nam disjunctiones tales ipsa sua quodammodo insolentia, quid solitum sit, significant. Explicandae autem videntur ex minus accurato stilo Thucydideo, qui in talibus, quae suo loco praetermiserat, haec ne plane omitterentur, alieno loco inculcavit.

§ 18. Sed jam redeundum est ad id, quod diximus de gravitate vocabulorum. Haud aliter enim ac caeterorum, sic etiam disjunctorum nominum id quod praecedit, eo quod sequitur, gravius est. Inde igitur fit, ut, cum substantivum sua natura plus valeat in sententia, quam adjectivum aut genitivus, illud ante hos suo paene loco ponatur. Forma igitur solita sententiarum, quae disjuncta habent nomina, est fere qualis illorum: χάριν ἀπομεμνήσεσθα ἀξίαν, ἐάν τέ τις βούληται ὑμῶν, taliumque. Quae contra adjectiva aut genitivi substantivis anteponuntur, haec insolentia loci urguentur, quemadmodum v. c. adject. in illo: ἐπιεικῆ δοκῶ λέγειν λόγον, vel in illo: τῆς ὀρθῆς τυχεῖν παιδείας genit. Animadvertendum tamen est adjectivum, quod proprias suas in sententia partes agat, etiamsi loco ponatur minus conspicuo, tamen majoris momenti esse, quam adtributum, quod simul cum substantivo, quod tanquam famulus sequatur, insigniore multo in sententia loco positum sit. Sic v. c. sententia distant χάριν ἀξίαν ἀπομεμνήσεσθαι et χάριν ἀπομνήσεσθαι ἀξίαν, et in hoc ἀξίαν conspicuum magis, quam in illo. Eodem modo in verbis illis: λοιδορίαν εἶναί τις ἂν φήσειε κενὴν δικαίως, κενὴν magis conspicuum est, quam si cum λοιδορίαν conjunctum esset.

§ 19. Quantum tamen universe nomen, quod in sententiae initio ponatur, eo quod versus finem magis relegatum sit, ad

sententiam sit efficacius, apparet etiam ex comparatione appositorum disjunctorum cum conjunctis. Nam in sententiis, qualis est v. c.: *κατασκευάζοντα, ἧς ἄρχοι χώρας*, summam sententiae vim residere in iis, quae vocabulum *χώρας* praecedant, supra jam satis cognovimus. In his contra: *δείξας, ὃν τρόπον ὑμᾶς ἔνιοι καταπολιτεύονται (Demosth. de Cherr, 102.), τρόπος* imprimis est, qui *δείκνυσθαι*, debet, non *τὸ ἐνίους καταπολιτεύεσθαι*. Hoc enim si dicere voluisset, dixisset: *ὃν ἔνιοι ὑμᾶς καταπολιτεύονται τρόπον*. Eodem modo differt etiam sententia haece: *οὐδ' ὅσους πόδας εἶχεν (ᾔδει) (Plat. de Republ. VII, 622, D.)* ab hac: *οὐδ' ὅσους εἶχεν πόδας (ᾔδει)*; per illud enim simpliciter dicitur eum nesciisse, quot pedes haberet, in hoc vero *ὅσους εἶχεν* ita urguetur, ut paene, ut ita dicam, genus quoddam pedum, eorum scilicet *ὅσους εἶχεν*, a caeteris generibus distinguatur.

§ 20. Sed sensu differant conjuncta nomina a disjunctis, differunt tamen, quod neminem fugierit, discrimine satis parvo. Parum enim, licet differant, differunt v. c. *χάριν ἀπομεμνήσεσθαι ἀξίαν*, vel *τίς βούλεται ὑμῶν*, a *χάριν ἀξίαν ἀπομεμνήσεθαι*, vel *τίς ὑμῶν βούλεται*. Jam igitur operae pretium est animadvertere ab auctoribus elegantioribus, imprimis a Demosthene, plerumque disjuncta nomina conjunctis praeferri. Sed, cum leviora sententiae discrimina negligi soleant, ut orationis elegantiae consulatur, jam quaestio est, num hac quoque in re rhetoricae alicui legi obtemperatum sit.

Et revera talem legem mihi videor deprehendisse, et quidem indice Aristotele. Philosophus enim ille celeberrimus, quemadmodum multa de aliis, sic etiam de generibus orationis egregie haec disputavit (*Rhet III c.* 9.): *Τὴν δέ λέξιν ἀνάγκη εἶναι ἢ εἰρομένην καὶ τῷ συνδέσμῳ μίαν ὥσμερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί. ἢ κατεστραμμένην καὶ ὁμοίαν ταῖς τῶν ἀρχαίων ποιητῶν ἀντιστρόφοις. Ἡ μὲν οὖν εἰρομένη λέξις ἡ ἀρχαία ἐστίν. Ἡροδότου Θουρίου ἥδε ἱστορίας ἀποδέξις. Ταύτῃ γὰρ πρότερον μὲν ἅπαντες, νῦν δὲ οὐ πολλοὶ χρῶνται. Λέγω δὲ εἰρομένην, ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ' αὑτήν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα*

λεγόμενον τελειωθῇ. Ἔστι δὲ ἀηδὴς διὰ τὸ ἄπειρον· τὸ γὰρ τέλος πάντες βούλονται καθορᾶν. Διόπερ ἐπὶ τοῖς καμπτῆρσιν ἐκπνέουσι καὶ ἐκλύονται· προορῶντες γὰρ τὸ πέρας, οὐ κάμνουσι πρότερον. Ἡ μὲν οὖν εἰρομένη τῆς λέξεως ἔστιν ἡδε. Κατεστραμμένη δὲ ἡ ἐν περιόδοις λέγω δὲ περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ᾽αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον· ἡδεῖα δ᾽ἡ τοιαύτη, καὶ εὐμαθής· ἡδεῖα μὲν, διὰ τό ἐναντίως ἔχειν τῷ ἀπεράντῳ καὶ ὅτι ἀεί τι οἴεται ἔχειν ὁ ἀκροατὴς, τῷ ἀεὶ πεπεράνθαι τι αὐτῷ· τὸ δὲ μηδὲν προνοεῖν [εἶναι] (*), μηδὲ ἀνύειν, ἀηδές.

Sic igitur Aristoteles. Sed res multo latius patuit, quam ipse videtur sensisse. Nam non tantum habebant περίοδοι — enuntiationes breviores, quae longiorum sententiarum partes erant, — αὐταὶ καθ᾽αὑτὰς ἀρχὴν καὶ τελευτήν, verum in iis quoque ipsis, levioribus licet pausis identidem Graeci ἐξέπνεον καὶ ἐξελύοντο. Nam cum alia vocabula grammatice arctius cohaererent aliis, fiebant quaedam eorum intra περίοδον copulationes, quae, ut apparet, aeque ac περίοδοι a περιόδοις, pausis quibusdam a se invicem disjungebantur. Etiam harum igitur opera dabatur, ne quae exsisterent nimis longae, et haud raro cognatorum vocabulorum longioribus continuationibus aliena interponendo, intervallis pluribus orationem distinguebant. Sic v. c. in hisce: οὐδὲν γὰρ ἄλλο πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς ἔχουσα ἡ ψυχὴ — εἰς Ἅιδου ἔρχεται, praeter illam ante: εἰς Ἅιδου, nulla fere verborum αὐτῶν κατὰ σφέα αὐτὰ τελευτῇ est. In Platonis (*Phaed.* 107, *D.*) contra verbis: οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἔχουσα — εἰς Ἅιδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται — πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς, pro una duabus pausis sententia distinguitur. Sed jam intelligitur, cur nominum disjunctiones ab scriptoribus elegantioribus plerumque conjunctionibus praelatae sint. Nam satis multae, ut apparet, vocabulorum continuationes, fiebant nominum, quae casuum inter se consuetudine cohaerebant, conjunctione. Sic igitur verba haec Platonis: μεγάλα — δ᾽ἔγωγε ὑμῖν τεκμήρια παρέξομαι —

(*) Ipse uncis inclusi.

τούτων (cur τεκμήρια et παρέξομαι conjunxerim, infra intelligetur) pluribus pausis distinguuntur, quam hoc: μεγάλα τεκμήρια τούτων — ἔγωγε ὑμῖν παρέξομαι. Haud aliter continuationes dissolvuntur vertendo *adtributum* in *appositum*, quem ad modum, v. c. si dicis: ἤλαυνον εἰς τοὺς ἱππεάς — τοὺς τῶν πολεμίων pro hoc: ἤλαυνον εἰς τοὺς τῶν πολεμίων ἱππέας (*Xenoph. Cyr. III*, 3, 65.).

§ 21. Sed breviter hic etiam commemorandae sunt disjunctiones nominum, quae cohaerent *conjunctione*. Cognosci poterit harum ratio jam ex his exemplis: οἱ δικαίως φιλόμαθεῖς κοσμίοι τ'εἰσὶ καὶ ἀνδρεῖοι (*Plat. Phaed.* 83, *E.*); ἅλας τε δῆλον ὅτι καὶ ἐλάας καὶ τύρον, καὶ βολβοὺς καὶ λάχανα, — οἷα δὴ ἐν ἀγροῖς ἑψήματα, — ἑψήσονται (*Plat. de Republ. II*, 372, *C.*); κρᾶσις.... ἀπό τε τῆς ἡδονῆς συγκεκραμένη ὁμοῦ καὶ ἀπὸ τῆς λύπης (*Plat. Phaed.* 59, *A.*); duo unius substantivi adjectiva (participia) sejunguntur in hisce: πλὴν ὅτι συμφέροντας ἔθηκαν καὶ καλῶς ἔχοντας νόμους (*Demosth. advers. Timocr.* 765, *med.*); in hoc loco Lysiae: ὥσπερ πολλῶν ἀγαθῶν αἰτίου ἀλλ'οὐ μεγάλων κακῶν γεγενημένου (*Adversus Eratosth.* 64.) disjuncta diceres et γεγενημένου ab αἰτίου, et ἀλλ'οὐ μεγάλων κακῶν a πολλῶν ἀγαθῶν. Animadvertendum est nomina talia non disjungi, sed conjuncta verbo praeponi, ubi de industria magis ostententur, et tanquam eorum fiat quaedam enumeratio. Sic. v. c. in hisce: καὶ πόνους γε αὖ καὶ ἀλγηδόνας καὶ ἀγῶνας αὐτοῖς θετέον (*Plat. de Republ. III*, 413, *D.*). Eodem modo non disjunguntur synonyma, quae, ut substantiva cum adtributis, unum tantum genus conjunctim exprimant. Exempla sunt: οἳ δὴ ἄριστοι φρουροί τε καὶ φύλακες ἐν ἀνδρῶν θεοφιλῶν εἰσι διανοίαις (*Plat. de Republ. VIII*, 560, *C.*); τοῦτον δὲ δὴ οὖν τὸν τόκον τε καὶ ἔκγονον αὐτοῦ τοῦ ἀγαθοῦ κομίσασθε (*eodem libro Platonis VI*, 507, *A.*); τὸ δ'ἄδικον (τυγχάνει ὂν) ἑαυτῷ λυσιτελοῦν τε καὶ ξυμφέρον (*eodem iterum libro I*, 344, *C.*). Quantum autum etiam hoc genus valeat ad orationem pausis distinguendam, apparet cum ex caeteris exemplis, tum imprimis ex hoc: Ἀγαθὴν μὲν τοίνυν — τὴν

τοιαύτην πόλιν τε καὶ πολιτείαν — καὶ ὀρθὴν καλῶ, — καὶ ἄνδρα τὸν τοιοῦτον. κακὰς δὲ — τὰς ἄλλας — καὶ ἡμαρτημένας (*de Republ. V. init.*).

§ 22. Sic igitur Graeci insignioribus locis ponebant, quae insigniora, et loco in sententia ea tantum disjungebant, quae etiam disjungi possent cogitatione. Jam fortasse dixerit aliquis idcirco eos non fuisse admirabiles, nec caeteris populis orationis quadam subtilitate praestitisse; omnino a recta via eos non decessisse, sed esse hoc parum laudis, nec quia sumerent, quae in promptu essent, idcirco eos sublimitatis quadam aut elegantiae gloria esse diguos. Contra hunc tamen contendam sumere ea, quae in promptu sint, non esse omnium, sed in ipsa potius simplicitate veram pulcritudinis rationem ponendam esse, et, quemadmodum verae magnificentiae sit in rerum abundantia non luxuriare, sordidioris contra et ridiculae luxuriei divitias monstrare dilapidando, sic Graecos admirabiles fuisse, quia eximiis illis linguae dotibus temperanter semper et cum ratione sint usi. Sed non hoc adeo mihi proposui linguarum dijudicare elegantias. Tantum comparabo rationem vocabulorum disponendorum Graecam cum ratione Latina, nec comparabo eas aliam ob causam, nisi quia ex comparatione solent res ipsae melius intelligi.

Ordiendum est a tralatione Graecorum in Latina. Hoc enim omnes animadverterimus paene nunquam, si Latine vertamus Graeca, eodem ordine relinqui vocabula. Exempla sumsi ex Xenophonte, ne si sumsissem ex auctore nimis rhetorico, videri alicui possem ipsi linguae adtribuere, quae essent scriptoris unius singularis generis scribendi. (*) Versionem adhibui Didotianam. Nam si ipse verterem, confecisse potius alicui videre possem argumenta, quam conquisivisse. Transposuit igitur Didotiana verbum ex initio in finem in: ἐξε-

(*) De poetis hoc tempore taceo. Eorum enim disponendorum vocabulorum rationem nondum ita adhuc accurate examinavi, ut de ea affirmare auderem aliquid certius.

πλάγη δέ, ὡς ἔοικε, καὶ βασιλεὺς τῇ ἐφόδῳ τοῦ στρατεύματος (*Anab. II*, 3, 18.), *quin et rex ipse, uti videbatur, exercitus nostri adventu fuit exterritus;* et in hisce: Ἐπαιδεύθην δὲ καὶ αὐτὸς οὕτως ὑπὸ τῆσδε τῆς ἐμῆς τε καὶ ὑμετέρας πατρίδος (*Cyrop. VIII*, 7, 10.), *Quin et ipse uti* (*sic*) *ab hac mea vestraque patria sum institutus.* Transposuit ex fine in initium in loco hoce: καὶ οἱ ἱππεῖς δὲ πάντες παρῆσαν (*Cyrop. VIII*, 3, 10.), *aderant item equites omnes.* Nomen item praedicativum ex initio in finem fere transposuit in his: Πολεμικὸν δὲ καὶ ἔρις καὶ ὀργή (*Memorab. II*, 6, 21.), *contentio autem et ira res quaedam hostiles sunt.* Verba posuit in fine, subjecta in initio reliquit, in his: καὶ ὁ Χειρίσοφος συμπέμπει ἀπὸ τοῦ στόματος ἄνδρας (*Anab. III*, 4, 43.), *et Chirisophus una cum ipso peltastas, qui erant primo in agmine, mittit;* aut in hisce: τῇ δ'ὑστεραίᾳ ὁ μὲν Ἀσσύριος καὶ ὁ Κροῖσος καὶ οἱ ἄλλοι ἡγεμόνες ἀνέπαυον τὰ στρατεύματα ἐν τῷ ἐχυρῷ (*Cyr. III*, 3, 39.), *Postridie Assyrius et Croesus ducesque caeteri copias intra munitiones quiescere jusserunt.* Objectum de loco suo movit in his: Τοὺς μέντοι Λακεδαιμονίους οὕτως αὖ οἱ πελτασταὶ ὤκνουν (*Hell. IV*, 4, 16.), *Itidem cetrati usque adeo metuebant Laecedaemonios,* et in hisce: καὶ μὴν τοὺς ἱππέας οἱ μὲν πολέμιοι αὐτοὶ παρετάξαντο ὥσπερ ὁπλιτῶν φάλαγγα βάθος ἐφ'ἑξ καὶ ἔρημον πεζῶν ἁμιππῶν· ὁ δ'Ἐπαμεινώνδας κτλ. (*Hell. VII*, 5, 23.), *Accedebat id etiam, quod hostes equitatum suum phalangis instar peditum gravis armaturae senam in aciem deinceps instruxerant, peditibus, qui erant equitibus juncti, nullis intermissis.* Plura exempla afferre necesse non est. Totus enim Xenophon est pro exemplo, aut potius omnes scriptores antiquiores Graeci. Tu ipse mihi vertas Graeca Latine; servare vocabulorum ordinem Graecum rarissime poteris.

§ 23. Non igitur Graeco more vocabula Latina loci quodam vario honore distinguebantur, nec vocabulum, quod prius positum erat, hoc ideo, eo quod posterius ponebatur, gravius. Non quasi nunquam priora posterioribus graviora fuerint, sed hoc tantum volo ea non graviora fuisse, quia priora. Quod

tamen, licet immerito, et ab multis aliis creditum esse videtur, et diserte perhibetur a Madvigio in Grammatica Latina *Part. III. Cap. I*, § 457 *seq. passim*. Quocirca, quam falso hoc perhibeatur, operae pretium est exemplis ostendere. Sic v. c. colorum vel sententiarum fines urguentur in loco hoce: *huic autem, qui studeant, sunt nulli, rhetorum turba referta omnia* (*Auct. ad Heren. 1*, 1, 1.); et in hoce: *ut mihi non erepta L Crasso a Diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur*. Verba ex Platonis Phaedro (245 D.): *εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι*, Cicero sic vertit: *si quidem necesse est a principio oriri omnia*, transponens *omnia* (*τὰ πάντα*) post verbum (*Tusc. I*, 23, 54.). Quae quidem res, urgueri nonnunquam etiam sententiarum fines, etiam Madvigium non plane latuit (§ 459). Credidit tamen, ut videtur immerito, Latinos in talibus a solita ratione certo consilio discessisse, et quidem ut ex graviorum illarum finium aliqua praesensione paulo acrius eas oratio jam inde a sententiarum initio appeteret. Sed haec finium praesensio qualis sit, deinde, ut arbitror, plane intelligetur. Nunc sufficiat alteri exemplo, quo rem probare studet Madvigius: *sequemur igitur hoc quidem tempore et in hac quaestione potissimum Stoicos* (*Cic. de Off. I*, 2.), opposuisse aliud, ejusdem formae, in quo tamen finis non praeter modum urguetur, hoc scilicet: *Dedit autem eadem natura belluis et sensum et appetitum* (*De Nat. Deor. II*, 47, 122.). In Madvigiano illo videtur *Stoicos* gravitatem suam debere magis comiti in sententia *potissimum*, quam loco suo. Alterum Madvigii exemplum hoc est: *Helvetii dicebant, sibi esse in animo iter per provinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum* (*Caes. B. G. I*, 17.) in quo tamen ante verba *aliud iter*, finis sententiae (*nullum*) nulla exspectatio est.

§ 24. Sed apparet illa linguae Graecae priorum vocabulorum gravitas imprimis in copulationibus adjectivorum cum substantivis. In his enim praeposita adjectiva sine dubio satis multum urguebantur. Recte tamen vertisse videtur Didotiana Xenophontis verba (*Memor. II* 9, 7.) *ὅταν νομεὺς ἀγαθὸν κύνα ἔχῃ καὶ οἱ ἄλλοι νομεῖς βούλονται πλησίον αὐτοῦ τὰς*

ἀγέλας ἱστάναι, ἵνα τοῦ κυνὸς ἀπολαύωσιν hisce: *ubi pastor aliquis canem bonum habet* etc., vel (e. l. III, 5, 2.) Σώματα δὲ ἀγαθὰ καὶ καλὰ πότερον ἐκ Βοιωτῶν οἴει πλείω ἂν ἐκλεχθῆναι ἢ ἐξ Ἀθηνῶν, hisce: *Utrum vero putas plura bona pulchraque corpora deligi de Boeotiis posse an Athenis?* Recte Tullius ejusdem verba (Cyrop. VIII, 7, 11.) οὐδὲ τοῦτο πώποτε ἐπείσθην, ὡς ἡ ψυχή, ἕως μὲν ἂν ἐν θνητῷ σώματι ᾖ, ζῇ, hisce: *Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere* (*Cat. Maj.* 22, 80.). Genetivum suo loco relinquere non potuit Didotiana, ubi vertit verba haec: καὶ μὴν τάς ἀπορίας γε τῶν φίλων τὰς μὲν δι' ἄγνοιαν ἐπειρᾶτο γνώμῃ ἀκεῖσθαι (*Xenoph. Memor. II*, 7, 1.) hisce: *Et profecto amicorum difficultatibus, quae ex ignoratione provenirent, consilio mederi conabatur.* In locis hisce: *Tuscus ager Romano adjacet* et: *Filiorum laudibus etiam patres eohonestantur*, Madvigius urgueri credit adjectivum et genetivum (*Tuscus* et *Filiorum*), quia substantivis praeponantur (§ 460). Immerito. Videntur enim tantum urgueri, quia diserte aliis (scil: *Romano* et *patres*) opposita sint. Saltem eodem modo in exemplis hisce urguentur adjectiva et genetivi, qui tamen substantivis loci dignitate cedunt: *ingenuitque* (*natura*) *sine doctrina notitias parvas rerum maximarum* (*Cicer: de fin. V*, 21, 59.); *nam qui dolet rebus alicujus adversis, idem alicujus etiam secundis solet* (*Tusc. Quaest. III* 10, 21.); *omnisque sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum* (*de Nat. Deor. II*, 57, *fin.*); *dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo* (*Tusc. Quaest. IV*, 10, 23.); *Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur* (*de Offic. I*, 34, 123.).

§ 25. Sed haec hactenus. Jam aliis exemplis demonstrandum est etiam non urgueri, aut saltem non urgueri propter locum, adjectiva aut genetivos, qui a nomine, cui antecedant, alienorum vocabulorum interpositione disjungantur; quos Graecos eximie ursisse, supra demonstravimus (vid. §um 18am). Exempla haec sunto; *Huic autem est illa dispar adjuncta*

ratio orationis (*Cic. de Orat. II*, 44, 185.), in quo *dispar* caeteris nulla praestat gravitate; *Nam si ita diceres, qui juris consultus esset, esse eum oratorem, itemque qui esset orator, juris, eundem esse consultum* etc. (*Orat. I* 55, 236.); in quo si *juris* a *consultum* disjunctum, Graeco more urgueretur, genus hoc juris consultorum aliis opponeretur consultorum generibus, quae aut diserte expressa essent, aut cogitari deberent. Eodemmodo in hisce: *Illam vero funditus ejiciamus individuorum corporum laevium et rotundorum concursionem fortuitam* (*Cic. Tusc. I* 18, 32.), *illam* non praeter modum urguetur. Non enim hoc genus concursionum aliis quibusdam opponitur. Conferas mihi cum hoc et alia, et hoc Demosthenicum: *Τουτονὶ δεῖ μαθεῖν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸν νόμον, τί ποτ' ἐβούλεθ' ὁ θείς κτλ* (*Adv. Arist.* 632.), jam plane intelliges, quanto discrimine differant hac in re Graeca a Latinis; neque tamen in hoc Demosthenico tot adhuc vocabulis demonstrativum disjungitur a substantivo, quot in illo Tulliano. Plura exempla sunt: *cujus ordinis a consule, qui quasi parens bonus aut tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis* [*de Orat. III*, 1, 3.]; et: *quamdiu Crassi fuit ambitionis labore vita districta* [*de Orat. III*, 2, 7.]. Graeci vix admisissent disjunctiones, quales hae: *quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causae amicorum, vel res publica tribuet otii* etc. [*de Orat. I*, 1, 3.], et: *tantum in dolore duxit mali* [*Tusc. Quaest. II*, 6, 16.], vel saltem non sic ad finem sententiae relegassent genetivos, nisi tam parvi momenti essent, ut paene sine sententiae detrimento tolli possent.

§ 26. Sed in his disjunctionibus aliud etiam majus discrimen apparet. Non tantum enim disjungebant Latini, quemadmodum Graeci, ea, quae separatim ad verbum referri poterant, verum etiam disjungebant *adtributa*. Exempla sunt haece: *primus ille, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam adtingit humanam* (*Cicer. de Off. I*, 6 *init.*) et: *reliquos sensus voluptates oblectant dispares* (*de Orat. III*, 7, 25.),

in his enim nemo referet *humanam* ad *adtingit*, ut dictum esset: *de natuur menschelijk betreffen*, et *dispares* vel a subjecto verbi transitivi avulsum est (*vid.* §um 9am). Ejusdem generis sunt haece: *quam crassissimus circumfundat aër* (*de Nat. Deor. II*, 6, 17.); *consequitur, ut et considerandis rebus humanis proprio philosophiae fungatur officio* (*Tusc. Quaest. III*, 16, 34.); ejusdem generis etiam locus, quem citavi supra (§° 25a): *huic autem est illa dispar adjuncta ratio orationis.* Unum saltem locum addam, in quo Graeci quoque potuissent disjungere hunc: *proximos colles capere universos* (*Caes. Bell. Civ. II*, 42.). Genetivi adtributivi disjunguntur in his: *contentio disceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, senatus* (*Cic. de Off. I*, 37, 132.); *solus enim multorum annorum memoria, non decantandi augurii, sed divinandi tenuit disciplinam* (*de Divinant. I*, 47, 105.). Plurimae tamen disjunctionum talium Latinarum admitterentur etiam a Graecis, dummodo disjuncta adjectiva pronomine vel articulo fulcirentur (*vid.* §um 12am); sic v. c. dici potuisset *τὴν φύσιν . . . . τὴν ἀνθρωπίνην*. In aliis tamen ne hoc quidem posset; v. c. in illo: *reliquos sensus voluptates oblectant dispares.*

§ 27. Pauca addenda de disjunctionibus eorum, quae cohaereant *conjunctione.* Parum enim hac in re Latini a Graecis differunt. Animadvertendum tamen est disjunxisse Latinos etiam synonyma, quod Graecis non licebat (*vid.* §um 21am). Sic v. c. in loco hoc: *et contineant quiddam ratione constitutum et via* (*Cic. de Fin. III*, 5, 18.), et in hoc: *ut illae superiores in medium locum mundi gravitate ferantur et pondere* (*Tusc. Quaest. I*, 17, 40.)

§ 28. Sed sic jam satis constat Latinam disponendorum vocabulorum rationem a Graeca multum distulisse. Jam igitur explicandum est, qualis fuerit ipsa per se. Universe autem hoc dici potest apud Graecos, — quod jam vidimus, — priora vocabula posterioribus semper gravitate praestitisse, apud Latinos vero posteriora fuisse praedicata, priora subjecta. Saltem sententiae formae simplicioris, Caesarianae v. c.

satis multae, saepissime a subjecto incipiunt, tantum non omnes verbo finiuntur, in medio habere solent, — ut hoc obiter moneam, nam res deinceps accuratius explicari debebit, — objecta vel alias verbi amplificationes. Exempla sunto: *Curio Marcum Uticam navibus praemittit* (*Caes. B. C. II*, 24.); *Scipio biduum castris stativis moratus ad flumen, quod inter eum et Domitii castra fluebat, Haliaemonem, tertio die prima luce exercitum vado transduxit* (*B. C. III*, 37.). Est igitur earum eadem fere forma, ac in lingua nostra sententiarum relativarum caeterarumque earum, quae ab aliis majoribus pendeant, v. c. hujus: *die zijn vijand versloeg* (*Vid. Brill Syntax.* § 138, 2). Sed etiam in sententiis forma minus simplicibus, etiamsi a verbo, ab adjectivo, a substantivo in casu obliquo, ab aliis vocabulis quibuscunque inciperent, et per substantivum in nominativo, vel aliud quodcunque vocabulum finirentur, sequentia semper praecedentium praedicata erant, praecedentia sequentium subjecta. Hoc igitur, quale sit, explicandum est.

§ 29. Dici solent subjecta substantiva in nominativo, praedicata adjectiva aut verba finita; non quidem plane immerito, si peculiare quoddam genus esse credis subjectorum aut praedicatorum *grammaticorum*, immerito tamen, si esse illa credis vera subjecta aut praedicata, i. e. si esse credis subjecta aut praedicata *logica*. Nam licet substantiva in nominativo saepissime fungantur munere subjecti, aut adjectiva et verba finita saepissime aliorum sint praedicata, tamen idcirco neque nominativos per se ipsos esse subjecta credendum est, neque adjectiva aut verba finita per se ipsa praedicata. Logica enim singula grammaticis singulis ita respondere, ut paene haec ex illis, aut ex his illa cognoscantur, tantum fere ab iis creditum est, atque adhuc creditur, qui ut animo certas quasdam cogitandi formulas impressas esse probent, has easdem necessitate quadam apparere etiam in divisionibus grammaticis contendunt. Quorum tamen opiniones jam ante hos viginti duo annos in libro peculiari: *Gram-*

matik, *Logik und Psychologie* refellit Steinthalius, et deinceps (anno 1860) paucioribus in libro egregio: *Charakteristik der hauptsächlichsten Typen des Sprachbaues*, imprimis in illa parte libri, quae est a pagina 89ª usque ad 150ªm. Jam igitur hoc satis constare videtur praeter substantiva in nominativo esse posse etiam alia *subjecta logica*, praeter adjectiva aut verba etiam alia *logica praedicata*. Jure igitur *Grammatice Logice* nulla dici potest. Verius perhiberetur, — licet semper praestet Grammatica dicere tantum Grammatica, — eam quandam continere doctrinam metaphysicam popularem, quam haud inepte diceres mythologicam. Nam quemadmodum populari ratione temporibus antiquissimis per mythos explicabatur rerum natura, — quod idem conati sunt postea doctrinis suis philosophi, ut sit mythologia fere philosophia quaedam antiquior et popularis, — sic de ea parte philosophiae, qua rationes explicantur, quibus res universe *esse* possint, quamque dicere solent *τὰ μετὰ τὰ φυσικά*, mythologicas quasdam, i. e. philosophicas populares antiquiores, deprehendimus populorum opiniones in divisionibus grammaticis. Sic v. c. eodem discrimine res quoque dividi, quo feminae atque mares, creditum fuisse videtur a populis bene multis, — ab eorum, qui sint stirpis Caucasiae tantum non omnibus, — atque hoc igitur discrimen inde in ipsas linguas irrepsisse. Quod tamen non esse logicum facillime perspicitur. Haud aliter orta etiam videtur distinctio temporum, modorum aliorumque; haud aliter etiam, cum *quiescentia* distinguerent prisci illi homines ab *iis*, *quorum ratio in actione posita esset*, atque sic distinguendo rerum naturam explicasse sibi viderentur, et ex *quiescentibus* illis etiam *ea quae per se essent*, ab *iis quae ad genus quodam pertinerent*, — ingesserunt in linguas distinctiones nominum a verbis, substantivorum ab adjectivis. Quae vocabulorum generum origo etiam Lotzium, — qui de his atque talibus in introductione libri, cui titulus est: *Logik* (edit. 1874) haud pauca disputavit, — non plane latuit; sed fraudi fuit

viro egregio, quod logicas etiam hinc elicere studuit categorias (*). Pro magno autem documento est divisiones grammaticas non necessitate quadam ab animi quibusdam innatis intelligentiis proficisci, quod in lingua Sinica v. c. vel plane nullae fuerunt, in iis vero in quibus fuerunt, fuerunt in aliis aliae. Quod enim dicit Lotzius, eos quorum linguae nullas has habeant, tamen animo singulis vocabulis suam rationem adtribuere, et ea tanquam ad vocabulorum singula genera referre, hoc, ut arbitror, nemo crediderit. Facillime res intelligitur, si credimus eas ex opinionibus illis popularibus, quas ut, quid vellem, indicarem, dixi metaphysicas, extrinsecus in linguas esse illatas. Hae enim, ut apparet, fuisse potuerunt aliis populis aliae, — in philosophicis enim non omnes populi consentire debuerunt, -- fuisse etiam potuerunt alicui populo plane nullae, — esse enim potuerunt populi, quibus Metaphysica nulla essent.

§ 30. Sed jam exemplis probandum est Latinos non tantum habuise pro subjecto substantiva in nominativo, verum etiam adjectiva praedicativa aut verba. Sic v. c. verba sunt subjecta in loco hoce: *Nuntiatur Afranio, magnos comitatus, qui iter habebant ad Caesarem, ad flumen constitisse. Venerant eo sagittarii ex Rutenis, equites ex Gallia* (*Caes. B. C. I,* 51.); Caesar enim in initio sententiae non posuisset verbum, si de eo, quod magni comitatus constiterant, praedicare voluisset hoc nuntiari, aut si potius affirmare voluisset de sagittariis illis eos advenisse, quam hoc dicere esse eos, qui advenissent, sagittarios, equites, alios. Eodemmodo per verba haece: *Augetur Gallis suspicio* (*B. G. VII,* 45) significatur potius, quid sit id, quod Gallis augeatur, quam de suspicione praedicetur eam a Gallis augeri; quod si dicere voluisset, dixisset: *suspicio Gallis augetur*. Alia exempla sunt: *silent enim leges inter arma* (*Cic. pro Mil. IV,* 17.), cuius sententiae praecipuum munus hoc est, demonstrare legum silentium, quando fiat, non

(*) L. c. p. 17 seq.

hoc, quid sit id, quod fiat inter arma; et hoc: *Declarant hujus ambusti tribuni plebis intermortuae contiones* (*Ead. Orat. V*, 12.); per quod dicitur potius, quaenam sint eae, quae declarent, quam quid ab intermortuis contionibus fiat. Adjungamus haece: *Relinquunt enim et abjiciunt obedientiam* (*de Off. I*, 20, 102.), et: *scribunt enim de litium genere* (*de Orat. III*, 20, 76.), quibus non imprimis affirmatur *relinqui* et *abjici*, aut *scribi*, sed potius id quod relinquatur et abjiciatur, *esse obedientiam*, id de quo scribatur, *esse litium genus*. Sed haec sufficiant de verbo. Eodem modo subjecta esse possunt etiam adjectiva praedicativa. Sic v. c. per verba haec Ciceronis: *cari sunt parentes, cari liberi propinqui familiares* (*de Off. I*, 17, 57.) non adeo praedicatur de parentibus, liberis, aliisque esse eos caros, sed cari potius, quinam sint, enumeratur. Objecti deinceps grammatici pro subjecto positi habes exemplum in loco hoce Caesaris: *frumenti copiam legionarii nonnullam habebant* (*Caes. B. C. I*, 78.), in quo praedicari *de frumenti copia* apparet ex illo *cetrati auxiliaresque nullam*, quod statim sequitur. In hoc enim non praecipue ostenditur, quaenam illa res sit, quam legionarii nonnullam, cetrati nullam haberent, sed potius dicitur, quinam fuerint, qui frumenti copiam nonnullam haberent, quinam, qui nullam. Genitivi tandem pro subjecto positi habes exemplum in loco hoce: *Earum igitur perturbationum, quas exposui, variae sunt curiationes.* (*Tusc. IV*, 27, 59.), in quo praedicari de *curiationibus* facile perspicitur; dicitur enim potius, quaenam res perturbationum sint, quam, quarumnam rerum sint variae curiationes. Sed haec jam hactenus. Animadverteritis, si vertatis Latine, idcirco Graecum vocabulorum ordinem retineri non posse, quia haud raro aut subjecta retrahi debeant ad initium, aut praedicata relegari ad finem. Conferas translationis exempla, quae adtuli §º 22ª.

§ 31. Sed videri alicui possit, adjectiva aut verba ne posse quidem esse subjecta. Haud inepte enim sic disputatur. Praedicata subjectis notione esse debent universiora; hoc

satis per se perspicuum est, et sic fere intellectum ab Aristotele, et vel disertis verbis perhibitum a Kantio (*). Verbum tamen et adjectivum semper notione universiora sunt, quam substantivum in nominativo. *Actio* enim universior cogitatur, quam *actor*; sine enim actore actio nulla esse potest, sed est haec nunc actoris hujus, nunc illius. Universius praeterea etiam *id quod adtribuitur, eo cui adtribuitur; boni* enim v.c. notio universior est notione *boni viri*. Jam igitur recte concluditur verbum aut adjectivum non esse posse subjecta substantivorum in nominativo. — Quod fortasse videbor alicui vel ipse tanquam confessus esse. Nam illa esse subjecta, plerumque indicare non potui, nisi ea tanquam in substantiva vertendo, dicendo scilicet pro illo: *venerant eo sagittarii*, hoc: *ii, qui venerant, erant sagittarii*. Quid quod videbor vel ipse fortasse dubitationis alicujus dedisse testimonium, quod cum dicere deberem, quaenam res ipsa esset, dixerim toties, quaenam esset *potius*, *quam* alia; particulis enim *potius quam* satis crebro usus sum. His tamen respondere potero rem altius repetendo.

§ 32. Linguarum divisiones non esse animi nostri, sed antiquorum populorum opinionum, jam explicatum est. Cum tamen inter *cogitare* et *loqui* satis arcta sit conjunctio, et cogitemus plerumque, licet non debeamus, loquendo, — loquendo certe tacite, sed tamen ita, ut ea quae cogitemus, per linguae quodammodo symbola ante animum proponamus,— nihil mirum est, si etiam cogitationes nostrae se sensim

---

(*) Videtur enim Aristoteli praedicari de singulis rebus per genus aut speciem, de specie per genus (*Categ. II et III imprimis* p^is^ 1^0^ *et* 7^0^). Kantii haec verba sunt: In jedem Urtheil ist ein Begriff, der für viele gilt, und unter diesem Vielen auch eine gegebene Vorstellung begreift, welche letztere denn auf den Gegenstand unmittelbar bezogen wird. So bezieht sich z. B. in dem Urtheile: *alle Körper sind theilbar*, der Begriff des Theilbaren auf verscheidene andere Begriffe; unter diesen aber wird er hier besonders auf den Begriff des Körpers bezogen; *Critik der reinen Vernunft p.* 68, *Ed. anni* 1818.

paulatimque linguae illis orationis formulis accommodarunt, et animus tandem noster recipere quodammodo coepit eas divisiones, quae antiquitus tantum fuerant linguae. Hinc igitur, cum iis populis, quibus essent illae distinctiones nominum a verbis, substantivorum ab adjectivis, casuum obliquorum a nominativo, facillime videri potuerit partem rerum per se ipsas constare, partem contra non esse omnino posse, nisi essent aliarum, et apud hos sententiarum inde haec ratio esset, ut quae singula et per se constarent (substantiva in nominativo), haec assumerentur ab iis, quae universiora essent (verba, adjectiva, substantiva in casibus obliquis), — fieri potuit, ut huic linguae rationi judicandi consuetudinem sic accommodarent, ut judicii subjectum tantum esse posse videretur substantivum in nominativo, judicii praedicatum tantum verbum, aut adjectivum, aut nomen in casu obliquo, aut nomen substantivum in nominativo, quod subjecto notione universius esset; quemadmodum v. c. ξῷον notione universius est, quam ἄνθρωπος vid. Arist. l. c.

§ 33. Inerat igitur quodammodo linguae divisionibus illa judicandi formula, quam sequebantur Kantius et Aristoteles. Quocirca haud inepte dicitur horum Logicen, — quam tamen praeter hos sequi solemus omnes, — esse quodammodo Logicen linguae. Sed haec, quam parum sit animi nostri, jam ipse Aristoteles declarat. Judicare enim dicit fere: κατηγορεῖν de τῷ ὑποκειμένῳ; quod tamen κατηγορεῖν, *praedicare*, sermonis nostri magis est, quam animi cogitationum. Vere igitur dici potest, nos et ante nos Aristotelem, satis fortuito in Logicen illam incasuros fuisse, si lingua fuisset v. c. sectatrix Roscellini illius, qui species et genera praedicaverit flatus vocis. Quod haud inepte, si quid video, perhiberi posset, de illis linguis, quibus, ut notum est (*), paene tantum sunt substantiva, adjectiva aut vera verba plane desunt. Sed,

---

(*) Cognovi ego a Steinthalio, et quidem de linguis, quas ille dixit Altaïcas vide: *Charakt. p.* 177 *seq.*

quidquid est, judicandi illam formulam, licet usui quotidiano plane satisfaciat, tamen non esse vere logicam, nostro tempore, primus, quod sciam, omnium animadvertit Lotzius; qui recte contendit eum, qui judicet, non conjungere sibi videri notiones cum notionibus, — sic fere Kantius, — nec etiam universioris finibus circumscribere minus universum, sed potius res ipsas conjungere cum rebus, et has illis adtribuere, et quod praedicata notione universiora sint subjectis, hoc demum, postquam judicatum sit, animadverti, non per ipsam judicandi actionem agnosci (*). Quam igitur sententiam Lotzianam jam et explicabo, et in usum meum convertam; mutuabor a Lotzio etiam exemplum, quo ipse usus est in loco, quem citavi in nota. Hoc igitur vult Lotzius, nos quando flavens videamus aurum, et dicamus: *aurum flavere*, non simul cogitare debere, esse posse etiam alias res flavas praeter aurum, — flavendi notionem, quia generalis, res plures flavas comprehendere, — sed hoc nos simpliciter perhibere esse aliquod flavum adtribuendum alicui auro. Hoc igitur judicium, — ut loqui pergam pro Lotzio, — adire deinceps possunt viri, quos dicam metaphysicos, animadvertentes res flavas, ut genus speciem, res aureas comprehendere, aut viri psychologici contendentes immerito nos nobis videri conjunctiones rerum cum rebus animadvertere, cum revera tantum conjuncta animadvertamus rerum visa (sic vertit Tullius φαντασίας (†)), quae animus teneat, cum visis. Haec igitur, etiamsi

(*) *Logik* (*edit.* 1874) *pag.* 57, *n°.* 36; *pag.* 74, *n°.* 53. Legimus v. c. *p.* 57: Wen wir sagen: das Gold ist gelb, so ist es freilich unwidersprechlich, dass nach diesem Urtheile unsere Vorstellung des Goldes in dem Umfange unserer Vorstellung des Gelben liegt, das mithin das Praedicat von weiterem Umfange ist, als das Subject; aber dies war es doch gewiss nicht, was man durch dies Urtheil auszusprechen beabsichtigte. Vom Golde selbst vielmehr wollte man sagen, dass das Gelb selbst ihm als Eigenschaft zukomme, und nur deshalb, weil man dieses sachliche Verhältniss, gleichviel jetzt, welche Bedenken es sonst haben mag, als bestehend schon voraussetzt, kann man es in einem Satze abbilden, in welchen die Vorstellung des Goldes von der des Gelben eingeschlossen wird.

(†) *Acad. Quaest. I*, 11, 40.

fortasse egregie sint animadversa, ipsius tamen judicii non sunt, sed doctrinae potius alicujus metaphysicae et psychologicae. Metaphysica tamen haec, — et sic jam ad mea revertor, — eadem plane sunt, quae vidimus esse linguae, ut per verba ipsa judiciis adhibeantur, quibus haec eloquamur. Jam igitur hoc apparet ea, quae Lotzius a vero judicio logico, quia ab hoc aliena essent, sejunxerit, haec eadem esse, quae nos demonstraverimus, accedere judiciis ex linguis.

§ 34. Sed Logice haec, licet animus eam ex lingua percipiat, ab ipsa tamen hac observari non debet. Habeat enim lingua aliqua distinctionem universiorum ab iis, quae singula et per se sunt, conjungat illa cum his, tamen, nisi de industria singula universis praeponat, ut illa indicet esse subjecta, haec praedicata, revera Logicen nullam habet. Sic v. c. ab omni ratione logica abhorrere recte contendimus linguam Graecam. Vidimus enim orationem Graecam semper a graviore vocabulo ad minus grave descendere, atque igitur in ea substantiva in nominativo, licet verbo aut adjectivo saepe praeponantur, tamen iis praeponi nullo modo debere. Linguae contra recentiores (nostra, Germanica, Anglica, Franco-Gallica) revera aliquam Logicen habent, ex ipsarum divisionibus grammaticis contractam. Hae enim in initio sententiarum saepissime ponunt *τὸ ὑποκείμενον*, (scilicet substantivum in nominativo), in fine earum saepissime, — ut formulis utar Aristotelicis (*), — id quod sit *κατὰ τὸ ὑποκείμενον*, vel *ἐν τῷ ὑποκειμένῳ;* quae sunt aut nomina in casu obliquo, aut adjectiva, aut substantiva in nominativo subjecto notione universiora, aut nonnunquam, — in sententiis quae tantum ex subjecto cum verbo constant, qualis est v. c. *ik loop*, —

(*) Exempla sunto: *ὁ ἄνθρωπος καθ'ὑποκειμένου μὲν λέγεται τοῦ τινὸς ἀνθρώπου* (*Categ. III*, 3); *τουτὶ τὸ λευκὸν ἐν ὑποπειμένῳ μέν ἐστι τῷ σώματι* (*Categ. II*, 2).

etiam verba. Haec tamen plerumque inter subjectum et praedicatum intercedebant, ut, cum his, subjecto atque praedicato, solis propositis nesciretur, quomodo hoc κατὰ vel ἐν illo esset, hoc verbo explicaretur. Quae igitur verba recte dici possunt *copulae.* Exempla satis sunt in promptu: *le heros tua son ennemie, de man kwam in de stad, meine Schmerz ist gross.* Nomina igitur in casu obliquo, adjectiva et caetera praedicata ad substantiva in nominativo se quodammodo habere, intelligimus, etiamsi sine verbo proposuerismus; quomodo tamen se habeant, non perspicimus, nisi verbo interposito. Est igitur in his linguis haec fere sententiarum ratio, ut ea, quorum tanquam sors sit copulari, haec copulentur verbo. Unde certus quidam exsistit vocabulorum ordo; hic scilicet, ut verbum ponatur inter subjectum et praedicatum. A quo ordine tamen varie disceditur. Caeteris religiosius eum servasse video Anglos, qui dicunt non tantum: *the father loves his son,* sed etiam: *the father has loved his son*, vel: *who has loved his son*, vel: *By this time the Scottish Parliament has reassembled at Edinburgh* (*Macaulay*), ubi nos: *de vader heeft zijn zoon bemind*, vel: *die zijn zoon bemind heeft*, vel: *Toen ten tijd kwam het Schotsche parlement weder bijeen.* Anglicis Franco-Gallica proprius accedunt, longius ab iis distant, aeque ac nostra, Germanica.

§ 35. Sed fortasse aliquis objecerit rationem hanc copulandi esse satis rudem, et nullam videri esse veram copulam praeter verbum substantivum. Huic tamen respondeatur Logicen linguae rudiorem esse, quia sit popularis, et populariter solere rerum rationem, — et sic etiam rerum, quae mente perceperimus, quomodo altera se habeat ad alteram, explicationem, qua explicatio fit per copulam, — in actione poni, in qua versari eas animadvertamus. Rectissime enim perhibet Steinthalius non torsisse antiquos linguae auctores quaestionem, quidnam tandem esset copula logica, sed eos, — populariter enim gravissimae quaestiones simpliciter solent solvi, — rem plane explicasse sibi visos esse, si statuissent subjectum

praedicatum *facere*, *perficere*, atque igitur, si dicerent v. c. *floram florere*, cogitasse, quod floreret, hoc ipso tempore a flore agi (*). Haud aliter in sententiis, quae habent post verbum praedicatum (subst. in casu obliquo, adject. etc.), subjectum praedicatum cogitatur perficere, aut saltem a subjecto, tanquam ab actore, tendere verbi actionem versus praedicatum.

§ 36. Sed, si subtilius judicare volumus, judicia haec, — ea, quorum verbum copula est, — redigere solemus ad formulam. per verbum substantivum. Sic v. c. si pro: *hij dood zijn vijand*, dicimus: *hij is doodende zijn vijand* judicare nobis videmur judicio verius logico. Apud Anglos vero hoc vel a consuetudine linguae receptum est, qui dicunt v. c. *I am loving*, *I was loving* etc. Sed rectissime perhibet Lotzius etiam verbum substantivum non esse veram copulam logicam (†). Nam neque in natura rerum positum est nos ea tantum judicando copulare posse, quorum alterum alterum *perficiat*, neque tamen etiam ea tantum, quorum alterum alterum *sit*. Videtur enim vera copula logica in actione potius quadam animi ponenda esse, quam in re aliqua, quae postquam animus eam perceperit, in cogitationibus adsit. Nam animus, quae percepit, haec solet alterum cum altero conjungere, et quidem aut ita, ut plane fortuito simul sint, aut ita ut ipse sentiat animus esse ea simul propter causam. Hoc igitur, ea ita conjungere, ut quod secundo loco posueritis, hoc quodammodo intelligatur esse alterius, recte dicimus *judicare*. Sic v. c. judicio statuimus *arborem virescere*, si et *arborem* et *virescere* animo perceperimus, et haec non fortuito simul esse intellexeri-

---

(*) *Charakt.* p. 95: Auf dit Frage, wie «Rose» und «blühen» zusammenhängen, gibt sie [die Sprache] die Antwort: die Rose blüht! die Rose macht es so! (welches Kind würde nicht so antworten?), Denn der ursprüngliche Inhalt aller sprachlichen Copulirung ist energisches Handelen. Da ist keine Substanz, kein Begriff, welchem ein Merkmal inhaerirte, zukäme, sondern da ist ein energisches wesen, welches in irgend eine Handlung seine Energie offenbart und etwas macht.

(†) *Logik pag.* 72 *seq.* *n*⁰ 51⁰, 52⁰.

mus, sed potius illud virescere meditatione aliqua agnoverimus esse quodammodo illius arboris. Haec igitur agnitio, quae inter subjectum et praedicatum intercedit, quaque distinemus ea simul, ac conjungimus, recte dicitur copula. (*) Sed jam intelligitur, quam falso copula dicatur aut verbum substantivum, aut aliud. Nam sic revera ab iis, quae animo percepimus, — a subjecto igitur aut praedicato, praeter haec enim nihil in animo est, quod percepimus, — particulam aliquam, aut parvam, aut majorem avellimus, atque hanc constituimus illorum copulam. Sic v. c. quando sententiae hujus: *vir fortis est, est* esse copulam judicii logici statuimus, revera partem avellimus a praedicato: *fortis est.* Quod facimus nos, ubi dicimus: *de man is dapper.*

§ 37. Sed licet sententiae formae solitae nulli verae normae logicae respondeant, sunt tamen in linguis recentioribus, in quibus revera subjecta et praedicata copula illa logica distineantur simul et, — sic enim debet, — conjungantur. Nam in proverbiis illis satis notis, in quibus acrius judicare nobis videmur, quia judicamus sine verbo, revera judicium fieri videtur copula vere logica. Exempla sunt ex lingua nostra: *Vrijheid, blijheid; zwijgen, best; opgestaan, plaats vergaan; hoe meerder haast, hoe minder*

(*) Exemplum illud virescentis arboris sumsi a Lotzio e libro *Mikroskosmos I p.* 262; ubi legimus haec: Der Lauf der Wahrnehmungen zeigt uns oft zwei Eindrücke verbunden, die eine bald kommende neue Empfindung uns getrennt darstellt, während eine dritte ihre frühere verknüpfung wieder bestättigt. Kein Grund konnte uns veranlassen, in jener ersten Wahrnemung das Verbundene zu trennen, wir nahmen es unbefangen als an einander hängend hin, der letzten erneuerten Wahrnemung dieser Verbindung stellt sich dagegen die Erinnerung an die inzwischen gemachte Beobachtung ihrer Auflösung entgegen; beide eindrücke werden nun nicht mehr in jener argelose Weise, wie sie uns die erste Anschauung darbot, an einander haften, sondern durch den Nebengedanken ihrer möglichen Trennung aus einander gehalten werden. — Est igitur in hoc exemplo meditatio illa, quae inter subjectum et praedicatum intercedit, haec trium illorum animi visorum comparatio.

spoed; zoo gewonnen, zoo geronnen; zoo heer, zoo knecht; zooveel hoofden, zooveel zinnen; twaalf ambachten, dertien ongelukken; heden rood, morgen dood; einde goed, alles goed; veel geschreeuw, weinig wol; ex lingua Germanica: *Jung, schon g'nug; so Geld, so Wahr; je lieber kind, je grösser Ruthe; kupfern Geld, kupfern Seelmessen; lang zu Hofe, lang zu Hölle; vierzehn Handwerk, fünfzehn Unglück.* Haec enim non sunt ex sententiis imperfectioribus, quae inserendo verbum substantivum reddi possint integrae. Sic igitur copula illa logica, licet a linguis recentioribus, plerumque non recipiatur, tamen plane ab earum ratione aliena non est. In lingua tamen Latina, — ut ad hanc jam revertar, — nulla est omnino praeter hanc. Jam igitur, quod dixi fere connecti orationem Latinam ex subjectis semper ac praedicatis, hoc sic intelligatur ex subjectis et praedicatis eam connecti conjunctis ac simul distentis copula logica.

§ 38. Sed ut subjectorum ac praedicatornm Latinorum copulatio plane intelligatur, accuratius cognoscenda videtur ratio verborum et adjectivorum in linguis antiquis. Jam animadvertendum est adjectiva Graeca atque Latina a substantivis multo minus ratione differre, quam adjectiva linguarum recentiorum. Nam in linguis antiquis adjectiva iisdem paene utebantur casuum notis, ac substantiva, et quemadmodum ipsa facillime poni poterant pro substantivis, sic facillime substantiva pro adjectivis. Haud aliter enim dicitur v. c. *Ζεὺς σωτήρ*, ac *ἀνὴρ ἀγαθός*, et quam facile adjectiva munus suscipiant substantivorum, apparet et ex aliis et ex usu participiorum, cujus locus hic ex Xenophonte exemplum est: *πέμψαι δὲ καὶ προκαταληψομένους τὰ ἄκρα* (*Anab. I*, 3, 14.). Quocirca adjectiva Graeca atque Latina videntur potius facilius et saepius aliis adjecta fuisse, quam ut adjici aliis et per se non posse constare eorum fuerit tanquam sors atque ratio. Videntur igitur prisci illi linguarum illarum auctores, non expressisse conceptas aliquas animo aut bonitatis aut perversitatis, aut alius cujusdam

proprietatis universas notiones, sed potius cogitasse res singulas aut personas, alias bonas, alias perversas, alias alias, atque harum deinceps nomina dicta esse adjectiva. In linguis contra recentioribus, cum Logice illa, qua minus generalia generalioribus subjicerentur, jam ab ipsis iis recepta esset, atque igitur jam genere quodam vocabulorum opus esse videretur, quod ipsum per se universitates quasdam exprimeret, tandem tradi coeptum est adjectivis unicum munus, ut praedicata essent vel adtributa. Jam igitur plane perspicimus, cur apud recentiores adjectiva paene in substantiva verti non possint, nisi praeposito articulo. Praeponimus autem nos articulum definitum, ubi Graeci quoque praeponunt (ὁ ἀγαθός: *de goede*); praeponimus indefinitum, ubi Graeci nullum habent (ἀγαθός, *een goede*), quibus, ut notum est, articulus hic indefinitus, plane deest. Sed habet apud nos hic articulus neque genus neutrum, neque numerum singularem. Unde fit, ut adjectiva generis neutrius nunquam ponantur pro snbstantivo (dicimus enim: *een goed ding*, *goede dingen*; Graeci contra v. c. ἄτοπον, δεινὰ λέγεις, alia), adjectiva vero generis masculini et numeri pluralis poni possint pro substantivo, etiam sine articulo (v. c. *vromen en boozen*). Apud Anglos tamen adjectiva posita substantive nulla fere sunt praeter ea, quae ponuntur cum articulo definito. Sic v. c. dicunt etiam: *good men*, *bad men*. Quid quod apud nos adjectiva praedicativa et appositiva, apud Anglos quoque attributiva, omni carent casuum distinctione. Ponuntur igitur in genere neutro paene modo eodem, quo nomina quibus genus indicatur aut universitas, qualia sunt v. c. *het goede*, *het booze* etc.

§ 39. Sic de adjectivis. Videtur tamen etiam verbum, cum in linguis recentioribus evaserit copula, pristinam suam naturam ex parte amisisse. Nam cum verbis finitis inesset antiquitus quaedam personae notatio, haec in linguis recentioribus simul, ut videtur, cum personarum notis

debilitata est, ac paene interiit. Inde igitur fit, ut quemadmodum adjectiva esse non possunt sine substantivo aut articulo, sic verba in linguis recentioribus non esse possint sine subjectis. Quocirca, ubi verba Graeca aut Latina nulla subjecta habent, habent nostra saltem aut indefinita, aut ea, quae exhibent pronomina personalia; v. c. in his: *τρέχεται*, *curritur, er wordt geloopen*, *τρέχει*, *currit*, *hij loopt*. Jam intelligitur verba Graeca atque Latina cum subjectis haud aliter conjungi, ac nomina cum nominibus, aut cum caeteris suis amplificationibus (adverbiis, nominibus in casu obliquo aut cum praepositione; *λέγει κακῶς*, *λέγει τοῖς στρατιώταις*, *λέγει κακά*, *λέγει περί τινος*) ipsa verba. Nam quemadmodum his amplificatur actionis significatio, quae inest in ipso verbo, sic substantivo in nominativo significatio personae, quae residet in notis conjugationum. Quam pefecte autem in linguis recentioribus verbum finitum evaserit copula, — volo, ut intelligitis, copulam, quam dicere possimus grammaticam, — ex hoc etiam apparet, quod rarissime tantum adhibetur in illis proverbiis, quorum haec ipsa ratio est, ut pro solita hac copula grammatica, habeant vere logicam. Mihi saltem tantum in notitiam venit: *wiens brood men eet*, *diens woord men spreekt*. In quo, quod obiter moneam, verborum ordo plane Latinus. (*)

§ 40. Sed cum *bonus* idem paene valeat, ac *aliquis, qui bonus est*, et *currit* idem paene, ac *aliquis, qui currit*, jam intelligitur, — id, quod primum quaerebatur §° illa 31ª, — cur

---

(*) Distinguunt haud raro linguas recentiores sic ab antiquis, ut has syntheticas vocent, illas analyticas. Jam vix dubito, quin haec analysis inde orta sit, quod lingua Logicen illam, quae est ipsarum ejus divisionum grammaticarum, receperit. Nam dicere solemus, et dixi ipse in initio disputationis, linguas recentiores, quia casuum ac personarum notae debilitatae sint, distinguere solere singulas orationis partes certo in sententia loco. Hoc tamen melius fortasse in contrarium vertitur, ut credamus linguas recentiores, postquam illa Logice recepta sit, idcirco notas illas tabescere sivisse, quia minus iis egerent.

verba quoque atque nomina adjectiva subjici potuerint nominibus substantivis. Posset paene de adjectivis aut verbis, qualia sint Latina, praedicari per nostram copulam, verbum substantivum; quanto igitur facilius per copulam illam vere logicam, qua universe tantum indicatur judicari, ne minima quidem ex parte definitur, quid judicetur. Exempla adjectivorum substantivis subjectorum praebent etiam illa proverbia. Sic v. c. in illo: *veel geschreeuw, weinig wol*, adjectiva: *veel* et *weinig* non sunt ex iis praedicatis, quae quia subjectum praecedant, insolentia loci urgueantur, (de quibus videas *Brill Synt.* § 140 *I*, 2; exemplum sit: *groot is de kracht der liefde*) sed sunt subjecta. Nam proverbio hoc non explicamus, qualis ejus sit lana (scl. exilis), cujus multus sit clangor, — quem admodum v. c. per hoc: *einde goed, alles goed* ostendimus, qualia *omnia* sint futura, quando *finis* recta fuerit, — sed hoc potius, quid id habeat exile, cujus clangor sit multus. Subjecta tamen haec reddere cogimur praedicata, si proverbium illud solitae accommodamus sententiarum normae, quo evadit sic fere: *indien het geschreeuw veel is, is de wol weinig.* Tollitur tamen sic omnis distinctio adjectivorum subjectivorum a praedicativis. Haud aliter enim pro: *einde goed, alles goed*, dici deberet: *indien het einde goed is, is alles goed.*

§ 41. Sed *de libertate* aliquis praedicaverit *gaudium* (*vrijheid, blijheid*), tamen, quomodo hoc illi adtribuatur, utrum v. c. hoc illam *sequatur*, an potius ab illa *efficiatur*, an melius dicatur *hoc esse illius*, an alio conjuncta sint modo quocunque, hoc plane in incerto relinquitur. Longe etiam imperfectius, ut aliud ponam exemplum, de aliquo, quod *Socrates* sit, praedicamus aliquid, quod *servus* sit, ut, nisi casum definierimus, (dicendo v. c. aut *servus* aut *servum*) vel plane in incerto sit, utrum Socrates servus *sit*, an de servo *aliquid faciat*, hoc vero definito (ut dictum sit v. c.: *Socrates servum*) tamen nesciatur, utrum servum Socrates *manumittat* v. c. an *doceat*,

an *interficiat*, an aliud de eo faciat quodcunque (*). Sed si exiliter sic judicatum sit, nihil tamen vetat judicando progredi et praedicato addendo praedicatum sententiam explere. Sic v. c. *libertatem gaudium* expleri possit adjungendo *sequitur*, aut *Socrates servum* adjungendo *manumittit* (aut *docet*, aut *interficit*, aut quod sententia, quae est in animo, postulet); sic etiam praedicatum praedicato altero explicatum est in proverbio illo: *opgestaan, plaats vergaan;* sic *fortis est* in illo: *vir fortis est* (quod exemplum adhibui §° 36[a]) praedicatur de *vir*. Sed sic plane jam intelligitur ratio eorum, quae sententiae Latinae habent in medio; — quam rationem me explicaturum pollicitus sum §° 28[a]. Exempla ex scriptoribus Latinis haec sunto: *Metropolitae .//. . portam/ clauserunt* (*Caes. B. C. III*, 81.); *Caesar . . .// milites/ cohortatus est* (*B. C. III*, 95.); *Ille vero, inquit Cotta// ornamenta orationis/ non adtigit* (*Cic. de Orat. II*, 90, 366.); *Cogitatio// in vero exquirendo/ maxime versatur* (*de Offic. I*, 36, 132). Duabus lineolis indicavi copulam majorem, quae est sententiarum ipsarum, una lineola minorem, quae est sententiarum partium.

§ 42. In his igitur praedicatorum praedicatis sententiae consummabantur. Nam ubi dicimus: *Metropolitae portas clauserunt*, hoc imprimis demonstramus, quid de portis Metropolitae fecerint, non hoc adeo, quaenam illae fuerint, quas clauserint Metropolitae; aut, ut aliud exemplum ponam, ubi dicimus: *Caesar milites cohortatus est*, non adeo ostendimus, quinam fuerint, quos Caesar cohortatus sit, sed potius, quid Caesar fecerit de militibus. Jam igitur intelligimus, cur sententiae, quibus simpliciter res gestae commemorarentur, semper conclusae sint verbo; in actionis enim commemoratione rei gestae maxima significatio est. Sed hae sunt sententiae formae illius simplicioris, cujus sunt imprimis, ut vidimus, satis multae Caesarianae (vid. §[am] 28[am]). A qua tamen sententiarum norma, varie, ut intelligimus, disce-

(*) Exemplum est Lotzianum, *Logik p.* 74.

ditur. Nam si v. c. revera quaeritur, quaenam fuerint, quae a Metropolitis clausae sint, sententia, quod jam intellexeritis, concludi debet per *portas*. Alia exempla sunt: *Duobus his unius diei proeliis Caesar desideravit milites DCCCCLX et notos equites etc.* (*Caes. B. C. III*, 71.), quibus minus hoc asseveratur Caesarem aliquos desiderasse, quam desiderasse eum milites nongentos; et: *Verbi enim controversia, jam diu torquet Graeculos* (*Cic. de Orat. I*, 11, 47.), quibus fere dicitur esse eos qui torsi sint, Graecos. Addam hoc: *omnis igitur oratio conficitur ex verbis* (*de Orat. III*, 37, 149.). Sententiarum in quibus subjectum non est nominativus, exemplum jam est locus ille Caesarianus; praeter hunc haec: *mane Idibus Septembribus// et ille et senatus frequens/, vocatu Drusi, in curiam venit* (*de Orat. III*, 1, 2.); et: *Hanc, inquam, cogitandi pronuntiandique rationem vimque dicendi// veteres Graeci/ sapientiam nominabant* (*de Orat. III*, 15 init.). In sententia hac: *Facit igitur// Lucius noster/ prudenter*, (*Cic. de Tin. V*, 6, 15.) subjectum est verbum, praedicata sunt nomen atque adverbium.

§ 43. Sed quemadmodum praedicata peculiari praedicato ornantur, sic etiam subjecta. In talibus igitur subjectum non subjicitur sententiae praedicato, nisi ipsum prius suo definitum est. Sic v. c. in verbis hisce Ciceronis (*Tusc. V*, 24, 68.): *Isque/ animo parumper et cogitatione// fingatur*, sententiae praedicatum est *fingatur*, non *animo et cogitatione fingatur*, ut non de *eo* ostendatur, quid animo et cogitatione fiat, (sic enim locus accipi deberet, si *animo et cogitatione* arctius cohaererent cum *fingatur*, quam cum *isque*), sed potius, postquam jam ex priore parte sententiae cognoverimus, id quod de *eo* fiat, fieri animo et cogitatione, ex parte posteriore comperiamus, quid hoc sit, quod fiat, scilicet *fingi;* quod igitur sententiae praedicatum est. Melius fortasse res intelligetur ex exemplis, qualia sunt: *Est profecto/ animi medicina// philosophia* (*Tusc. III*, 3, 6.); *videtur mihi/ cadere in sapientem// aegritudo* (*Ead. Tusc.* 4, 7.); aut ex loco ex Milo-

niana supra citato (§° 30[a]) *silent enim / leges // inter arma*, aut ex hoc: *Excitabat / eos // magnitudo* (*de Orat. I*, 4, 15.). Sed subjectum ornatum subjici etiam potest praedicato ornato, ut ex quatuor partibus sententia constet; sic v. c. in verbis hisce Caesaris: *Pompejus / paucis post diebus // in Thessaliam pervenit* (*B.C.III*,82.), ubi nobiscum communicatur, quid fecerit Pompejus paucis post diebus, non hoc imprimis, quid fecerit Pompejus; quod fieret, si *paucis post diebus* majore pausa a *Pompejus* segregaretur, et conjungeretur cum *in Thessaliam pervenit;* quod tamen, ut ipsi animadverteritis, minus hic expedit. Nudum subjectum subjicitur praedicato praetermodum ornato in loco Caesaris, quem citavi supra (§° 28[a]) *Curio // Marcum Uticam / navibus praemittit.* Alia exempla, praeter illud ex libro de Bell. Civil., in quibus ornatum subjectum ornato subjicitur praedicato, sunt haece: *Caesar / ex eo loco // quintis castris / Gergoviam pervenit* (*Caes. B. G. VII*, 36.); *Erat / in celeritate // omne positum / certamen* (*B. C. I*, 70.); *Tum / res // acta / sic est* (*Cic. Tusc. III*, 3, 7.); *cui / moerori* (*qua mente ille in patriam fuit*) // *etiam C. Carbonis, inimicissimi hominis, / eodem illo die mors fuisset nefaria* (*de Orat. III*, 3, 10.); *Est enim / in illis // ipsa merces / auctoramentum servitutis* (*de Off. I*, 42, 150.); *Illam vero / funditus ejiciamus // individuorum corporum laevium et rotundorum / concursionem fortuitam* (citatum supra §° 25[a]).

§ 44. In his igitur revera sententiae sententiis, judicia judiciis, subjiciuntur. Nam cum per copulam logicam, quod jam intellectum erit ex illis proverbiis, judicari possit etiam sine verbo, per se quoque absoluta judicia dici possunt enuntiationes, quales v. c. sunt: *cui moerori*, aut: *ipsa merces auctoramentum servitutis*, licet certe sint exiliora. Haud aliter tamen, ut intelligitur, aut subjecta sunt aut praedicata, aut subjecti aut praedicati praedicata propria ablativi etiam absoluti, et sententiae ordinis inferioris, quae pendent a conjunctionibus, a *cum* v. c., a *postquam*, a *si*, ab aliis, quaeque credi solent apud nos quoque sententiae per se absolutae. Subjecta

sunt v. c. in sententia hace: *Hac re cognita, Caesar.... mittit* (*Caes. B. G. VII*, 43.), aut in hace: *si enim id, quod eventurum est, vel hoc modo, vel illo potest evenire//, fortuna valet plurimum* (*Cic. de Divin. II*, 9, 24.); in hac praedicatum proprium subjecti: *Caesar exploratis regionibus albente coelo, omnes copias castris educit* (*Caes. B. C. I*, 68.); praedicatum in hace: *difficile est amicitiam manere,// si a virtute defeceris* (*Cic. de Amic.* 11, 36.); in hace praedicatum praedicati: *Si intelligam, posse ad summos pervenire,//.. hortabor, ut elaboret* (*de Orat. II*, 20, 85.); in qua *si.. pervenire* subjectum est, *ut elaboret* praedicatum praedicati. Addam locum, in quo sententia ordinis inferioris praedicatum est, quod praedicato proprio definiatur, hunc: *nam nunc, quibus studendum rebus esset//, accepimus* (*de Orat. I*, 47, 205.). Esse autem sententias tales subjecta aut praedicata ex illis exemplis apparet; praeterea etiam ex hoc: *quod populo Romano servari videret, id sibi ut donaret, rogare et vehementer petere coepit* (*Cic. Verr. IV*, 29, 66.); in quo, ut perspicitis, disertius affirmatur *rogari* et *peti*, quam esse, id quod rogaret, *ut donaret*. Possunt autem omnes sententiae ordinis inferioris esse omnia, scl. aut subjecta, aut subjecti praedicata, aut praedicata, aut praedicata praedicati. Fortasse tamen paulo frequentius ablativi absoluti et sententiae, quae a *postquam* pendent, sunt subjecta, quae a *cum* aut *si*, subjecti praedicata, quae ab *ut*, praedicata. Graeca, ut nonnunquam in aliis, sic multo frequentius ordine sententiarum breviorum, quae majorem sententiam efficiant, cum Latinis conveniunt. Facilius enim nascitur duarum aut trium partium majorum cum duabus aut tribus majoribus partibus convenientia, quam si enuntiationum simul breviorum verba cum verbis convenire debeant. Conveniunt tamen etiam illae fortuito. Exempla, ubi non conveniunt, haec sunt: *ἀναμιμνήσκοντες δὲ ὡς Ἀθηναῖοί τε ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ἡρέθησαν ἡγεμόνες τοῦ ναυτικοῦ καὶ τῶν κοινῶν χρημάτων φύλακες, τῶν Λακεδαιμονίων ταῦτα συμβουλευομένων* (*Xenoph. Hell. VI*, 5, 34.), ubi recte

Didotiana a fine sententiae revocat genetivum absolutum, vertens: *revocantes iis in memoriam, quod Athenienses Lacedaemoniis auctoribus duces classis publicarumque pecuniarum custodes lecti fuissent.* Recte etiam *eodem libro c. 4, n°.* 36°, in fine posuit, quae Graeca habent loco priore, in hisce: *εἶπεν, ὡς εἰ μὴ ἤδη πράξοιεν, ἐγερεῖ αὐτόν,* quae sic vertit: *excitaturum se dixit hominem, ni mox rem perpetrarent.* Platonis verba: *ὥστε οὔθ' ὅπως οὖν ὀργιζοίμην εἶχον καὶ ἀποστερηθείην τῆς τούτου συνουσίας, οὔθ' ὅπῃ προσαγαγοίμην αὐτόν, εὐπόρουν* (*Symp.* 219 *D.*), vertenda esse fere videntur sic: *ut neque haberem, cur ei succenserem, atque ab ejus consuetudine recederem, nec scirem, quomodo eum mihi reconciliarem.*

§ 45. Sed non tantum in partes duas, tres aut quatuor dividebantur sententiae, verum hae quoque ipsae, ubi ex pluribus vocabulis constabant per se semper absoluta judicia continebant. Sic v. c. in loco illo Ciceronis, quem jam citavi §° 41ª, *mane Idibus Septembribus// et ille et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit*, non tantum per se constare potest *et ille et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit*, verum etiam *vocatu Drusi in curiam venit*, et vel *in curiam venit.* Nam stare posse sententias Latinas etiam sine subjectis (nominibus in nominativo) jam supra explicatum est (§° 39ª). Haud aliter in Caesariano, quod citavi §is 28ª et 43ª: *Curio Marcum Uticam navibus praemittit*, constat praedicatum ex duobus judiciis *Marcum Uticam* et *navibus praemittit. Uticam* enim arctius conjungimus cum *Marcum*, quam cum *navibus*, et universe per *Marcum Uticam* indicamus aliquid de Marco fieri versus Uticam, ut sit ex judiciis illis exilioribus quidem, sed tamen per se absolutis, de quibus egi §is 41ª et 44ª. Deinceps per *navibus praemittit* non definitur neque *Marcum*, neque *Uticam*, sed tantum horum conjunctionem *Marcum Uticam*, ut illud, quod dixi indicari universe, de Marco scl. fieri aliquid versus Uticam, hoc quid sit, per *navibus praemittit* deinceps explicetur. Sunt quidem, ut animad-

verti, judicia, qualia *Marcum Uticam* satis exilia. Nihilominus tamen recte dicitur oratio Latina nectere semper, dum progrediatur, praedicata ex subjectis, judicia ex judiciis.

§ 46. Revertendum est ad explicationem sententiarum Graecarum, ut et expleantur ea, quae disputavi supra inde a §° 3ª, et simul iterum comparatione cum Graecis explicentur Latina. Constant enim sententiae Graecae, quod supra jam indicavi §° 20ª, haud aliter ac sententiae Latinae, non tantum ex singulis vocabulis, verum etiam ex horum copulationibus. Sunt in Graecis hae copulationes, quod etiam loco illo citato indicatum est, vocabulorum semper, quae grammatice cohaereant, nominum v. c. substantivorum cum adjectivis, taliumque. Cum verbis autem grammatice cohaerere possunt caeterae partes orationis omnes. Vide, quae disputavi §° 39ª. Possunt tamen verba arctiores copulationes cum iis partibus orationis conficere, quas proxime sibi appositas habent. Quod jam illud est, quod explicaturum me pollicitus sum, cum conjunxi *τεκμήρια* cum *παρέξομαι*, §° 20ª *in fine*. Exempla copulationum pausis illis discretarum, quarum rationum explicavi illa §° 20ª, praeter ea, quae ibi adposui, haec sunto: *ἐπεισέρχεται δὲ — διὰ μέγεθος τῆς πόλεως = ἐκ πάσης γῆς — τὰ πάντα* (*Thucyd. II*, 38.); *καὶ — οἱ μὲν πρέσβεις τῶν Ἀθηναίων = ἀπεστάλησαν ἐς τὴν Σικελίαν* (*Idem VI*, 7.); *ὁ δ' ἂν Κῦρος — ταῦτα ἰδὼν = περιίσταται τὸν λόφον — τῷ παρόντι στρατεύματι* (*Xen. Cyr. III*, 1, 5.); *Ἐν μὲν οὖν — ἔγωγε = πρῶτον ὑπάρχειν — φημὶ δεῖν* (*Demosth. de pace* 60.); *καὶ — τῶν Ἀθηναίων δὲ καὶ Βοιωτῶν = συμπαρῆσάν τινες αὐτοῖς — διὰ τὸ συμμάχους εἶναι.* (*Xen. Hell. IV*, 6, 1.); *ἐκ τούτου — οἱ Λακεδαιμόνιοι = διαβιβάζουσι κατὰ θάλατταν εἰς Φωκέας — Κλεόμβροτόν τε τὸν βασιλέα κτλ.* (*Hell. VI*, 1, 1.); *Ἐκ δὲ τούτου — οἱ μὲν Ἀθηναῖοι = τάς τε φρουρὰς — ἐκ τῶν πόλεων ἀπῆγον — καὶ Ἰφικράτην καὶ τὰς ναῦς — μετεπέμποντο* (*Hell. IV*, 4, 1.); *καὶ ἐκόσμησαν δὴ — τοῦτο τὸ μνῆμα = οἱ Θηβαῖοι — πρὸ τῆς μάχης* (*Hell VI*, 4, 7.). Hae igitur copulationes eorum sunt, quae grammatice cohaerent. Inter-

rumpuntur tales copulationes tantum, quod sciam, particulis, quales sunt μέν, δέ, τε, γάρ, aliae, et vocativis. Sed quemadmodum hae copulationes vocabulorum sunt, sic totae sententiae copulationes copulationum, — aut singulorum vocabulorum, quae per se constant, et tanquam sunt pro copulatione; v. c. ἔγωγε in loco illo Demosthenico. Sic e. g. in loco illo ex Hell. libro VI, 4, 7, ἐκόσμησαν δή amplificatur illo τοῦτο τὸ μνῆμα, deinde ἐκόσμησαν δὴ τοῦτο τὸ μνῆμα illo οἱ Θηβαῖοι, et illo πρὸ τῆς μάχης. In loco illo Demosthenico Ἓν μὲν οὖν et ἔγωγέ amplificantur illo πρῶτον ὑπάρχειν φημὶ δεῖν, in quo tamen πρῶτον amplificatur per ὑπάρχειν φημὶ δεῖν, ὑπάρχειν per φημὶ δεῖν, et φημί per δεῖν; ut verborum φημὶ et δεῖν, arctissima sit copulatio, hujus, φημὶ δεῖν, cum verbo ὑπάρχειν minus arcta, hac iterum minus arcta hujus, ὑπάρχειν φημὶ δεῖν, cum illo πρῶτον, omnium minime arcta ea, quam primam proposui, copulationis πρῶτον ὑπάρχειν φημὶ δεῖν cum illis Ἓν μὲν οὖν — ἔγωγε. Eodemmodo igitur copulationes hae Graecae copulationes comprehendunt, ac judicia Latina judicia, et sic etiam pausarum Graecarum, aeque ac copularum Latinarum, graduum quaedam distinctio est. Sic igitur pausae Graecae melius sic indicantur, pluribus lineis adtributis pausis distinctioribus (*): πρὸς δὲ τούτοις ≡ καὶ φιλίας εὑρεῖν — πιστοτάτας (καὶ συνουσίαις ἐντυχεῖν — παντοδαπωτάταις) = μάλιστα παρ' ἡμῖν ἔστιν (*Isocr. Paneg.* 49.). Verbi autem cum parte orationis, quae ei proxime apposita est, copulatio arctissima, aeque v. c. ac copulationes duorum nominum, pausa nulla dividitur. Sed habere videntur sententiae et copulationes Graecae, — quemadmodum copulationes nominum, sic etiam caeterae, — partem, qua res praecipue proponitur, partem, qua haec amplificatur. Quemad-

---

(*) In sententiis, quas citavi pagina praecedente, jam duobus lineolis indicavi pausam praecipuam.

modum igitur nomina in talibus copulationibus nominibus dici solent *adtribui*, sic etiam totam linguae Graecae copulandi rationem, — ut utar hoc verbo sensu latius patente, — dicam *adtributivam*. (*) Sed nunc in sententiis pars ea praecipue proponitur, in qua est verbum, (v. c. καὶ ἐκόσμησαν δὴ τοῦτο τὸ μνῆμα), altera huic ejus amplificandae causa adjungitur (v. c. οἱ Θηβαῖοι πρὸ τῆς μάχης), — nunc contra haec, in qua verbum non est, praecipue proponitur(οἱ μὲν πρέσβεις τῶν Ἀθηναίων), amplificandi causa illa adjungitur (ἀπεστάλησαν ἐς τὴν Σικελίαν). Praeterea non tantum, modo quo diximus, pars ea, in qua verbum est, ex pluribus copulationibus copulata esse potest, verum etiam in parte altera plures copulationes esse possunt, aut vocabula singula, quae pro copulatione sunt. Sic v. c., quod jam indicavi ,in loco illo ex *Hell.* non amplificatur καὶ ἐκόσμησαν δὴ τοῦτο τὸ μνῆμα οἱ Θηβαῖοι illo πρὸ τῆς μάχης, sed est et οἱ Θηβαῖοι, et πρὸ τῆς μάχης amplificatio illius καὶ ἐκόσμησαν δὴ τοῦτο τὸ μνῆμα. Haec igitur, οἱ Θηβαῖοι et πρὸ τῆς μάχης, eadem conditione alterum juxta alterum ponitur. Eodem modo in loco illo Demosth. amplificantur Ἐν μὲν οὖν et ἔγωγε illo πρῶτον ὑπάρχειν φημὶ δεῖν, non Ἐν μὲν οὖν illo ἔγωγε πρῶτον ὑπάρχειν φημὶ δεῖν. Ratione eadem sunt in loco illo Thucyd. (*II*, 38.), ἐκ πάσης γῆς et τὰ πάντα; in loco ex Hell. (*IV*, 1, 1.), ἐκ τούτου et οἱ Λακεδαιμόνιοι, et ibi in arctissima verbi copulatione, cum iis quae proxime ei apposita sunt, κατὰ θάλατταν et εἰς Φωκέας, in loco tandem ex Hell. libr. VI, 4, 1, Ἐκ δὲ τούτου et οἱ μὲν Ἀθηναῖοι. Utrum autem etiam inter haec quaedam conjunctio sit, nec ne, et si quae est, quaenam sit, ignoro. Fortasse tamen est quaedam, et quidem illa, quam dixi *adtributivam*. Sed hic jam accuratius ex-

---

(*) Copulationes igitur vocabulorum, quae dicere solemus conjuncta esse praedicative, revera sunt *adtributivae cum verbis*. Sed verbo hoc tantum hic sic usus sum et locis paucis in sequentibus, ut linguae Graecae copulandi rationem nonnihil explicarem, non ut usum ejus communem tollerem.

plicari potest orationis illa Graecae gravitatum distinctio. Non enim haec, ut intelligitur, ita fiebat, ut singulorum verborum decresceret gravitas a sententiarum inde initio usque ad finem, sed ita potius, ut gravitate praecederet copulatio copulationem, (supra autem jam animadvertimus etiam singula vocabula pro copulatione esse posse), et intra copulationem vocabula singula vocabula. Sic v.c. in exemplis illis gravius est καὶ ἐκόσμησαν δή, quam τὸ μνῆμα, et ἐκόσμησαν δὴ τοῦτο τὸ μνῆμα gravius, quam οἱ Θηβαῖοι πρὸ τῆς μάχης; in illo Demosthenico Ἐν μὲν οὖν ἔγωγε gravius, quam πρῶτον ὑπάρχειν φημὶ δεῖν, πρῶτον gravius, quam ὑπάρχειν φημί δεῖν, ὑπάρχειν gravius, quam φημὶ δεῖν, φημὶ gravius, quam δεῖν. In illo Thucydideo οἱ μὲν πρέσβεις τῶν Ἀθηνάιων gravius, quam ἀπεστάλησαν ἐς τὴν Σικελίαν, gravius οἱ μὲν πρέσβεις, quam τῶν Ἀθηναίων, gravius ἀπεστάλησαν, quam ἐς τὴν Σικελίαν. Prioris igitur alicujus copulationis vocabulum v. c. ultimum minus grave esse dici posset, quam copulationis posterioris vocabulum prius, quamquam re vera gravitates singulorum vocabulorum ne comparari quidem possunt, nisi sunt in copulatione eadem. Sic v. c. in verbis Isocratis (in init: *Panath. p.* 232.): Νεώτερος μὲν ὢν — προῃρούμην γράφειν τῶν λόγων — οὐ τοὺς μυθώδεις — οὐδὲ τοὺς τερατείας καὶ φευδολογίας μεστούς, praecipuas copulationes rite, quod sciam, distinxi; pausarum tamen graduum discrimen non indicavi. Jam igitur v. c. τῶν λόγων magis urgueretur, si sic divideremus ..... προῃρούμην γράφειν — τῶν λόγων οὐ τοὺς μυθώδεις, aut, quod praestaret, diceremus: οὐ προῃρούμην γράφειν τῶν λόγων τοὺς μυθώδεις. Sed jam intelligitur, cur recte dixerim §° 18ª nomina, quae tanquam ex copulatione exempta essent, esse iis, quae aliis adjicerentur, magis conspicua, etiamsi horum copulatio dignitate loci illis antecederet; ἀξίαν v. c. magis conspicuum est in χάριν ἀπομεμνήσεσθαι — ἀξίαν, quam esset in χάριν ἀξίαν — ἀπομεμνήσεσθαι. Eodemmodo etiam verborum amplificationes, quae cum verbo minus arcte conjunctae sunt, iis quae sunt arctius conjunctae,

magis sunt conspicuae, etiamsi dignitate loci hae illas praecedunt. Sic v. c. magis conspicuum est ἡ πόλις in verbis hisce Demosthenis: Ἐπειδή τοίνυν ἐποιήσατο τὴν εἰρήνην — ἡ πόλις (*de Cor. p.* 233.), quam Ὀλύνθιοι in hisce: ὑπῆρχον Ὀλύνθιοι δύναμίν τινα κεκτημένοι (*Olynth. III*, 30.). Sed dixi supra (§° 2[a]), si graviora in Graecis praeponi dicamus minus gravibus, rem tantum universe indicari, et quia universius, minus vere. Etiam de hoc igitur jam explicatuis disputabo. Est, ut vidimus, in Graecis id quod sequitur, ejus quod praecedit, amplificatio, nec, si quid video, priora posterioribus graviora dici possunt, nisi quia id quod amplificat, eo quod amplificatur, conditione inferius esse videri potest. Sed sunt, ut ita dicam, adjectiva substantivorum, verborum caeterae orationis partes omnes, sententiarum praecipuarum sententiae ordinis inferioris (relativae, quaeque a conjunctione pendent), amplificationes naturales. Quando igitur substantiva adjectiva praecedunt, aut verba caeteras partes orationis, aut sententiae praecipuae sententias ordinis inferioris, horum (substantivorum, verborum, sententiarum praecipuarum) nulla supra conditionem gravitas est, nec dicere ea solemus graviora. Eodem modo etiam pronomina relativa, conjunctiones, adverbia, quale ἐνταῦθα, aut locutiones adverbiales, quales ἐκ δὲ τούτου, ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ et aliae (vid. §[um] 2[am]), a quibus tota sententiarum ratio pendet, ut sine iis in oratione perpetua earum locus nullus sit, — haec paene ne possunt quidem alio loco poni, nisi in sententiarum initio, neque igitur etiam haec pro conditione ibi graviora sunt. Gravitates igitur eorum demum vocabulorum conspicuae sunt, quae priore loco, quam eorum tanquam sors est, ponuntur, et, si quid video, quo longius vocabula ab hoc loco remota sunt, ita videntur esse graviora. Sic igitur graviora esse nobis videre solent adjectiva praeposita substantivis, verborum amplificationes praepositae verbis, sententiae relativae praepositae demonstrativis, quia contra quam haec illis, illa his amplificantur; valde grave est v. c. τοὺς ξένους in loco Xenoph. hoce, citato §° 2°: Τοὺς γὰρ ξένους, ἐξ οὗ ὅ τε Σίνις καὶ Σκεί-

ρων καὶ ὁ Προκρούστης ἀπέθανον, οὐδεὶς ἔτι ἀδικεῖ, quod (τοὺς ξένους) naturalius sequeretur post verbum. Sed haec hactenus. Paucis praeterea etiam hoc animadvertere operae pretium est esse pausas Graecas plerumque multo minus distinctas Latinis. Nam cum partes sententiarum Latinarum (copulationes etiam has dicas) ipsae quoque per se absolutae sententiae essent, fines harum multo distinctius audiebantur, quam copulationum Graecarum, quae per se nihil absoluti exprimebant. Tendebat praeterea oratio Latina ad fines semper sententiarum et copulationum, cum naturaliter tendamus ex subjecto ad praedicatum. Harum igitur finibus multo acrius aures percutiebantur, quam finibus sententiarum et copulationum Graecarum, cum oratio Graeca semper, ut vidimus, ex graviore in minus grave delaberetur. De pausis autem Latinis videas Ciceronem *de Orat. III, C.* 48. Jam perspicitur, quaenam fuerit illa sententiarum Latinarum finium exspectatio, quam fore, ut intelligeretur, promisi supra §° 23_a.

§ 47. Utraque igitur lingua ita struit sententias, ut vocabula copulet vocabulis, vocabulorum copulationes copulationibus. Discrimen earum in eo tantum consistit, quod copulet Graeca, ut dixi *adtributive*, Latina, ut verbo hoc utar, *praedicative*. Jam hoc discrimen et alibi apparet, et imprimis in copulationibus Latinis eorum, quae grammatice non cohaerent, quales sunt v. c. illa *cui moerori, ipsa merces auctoramentum servitutis, Marcum Uticam* etc., de quibus vidimus §° 43^a *sequent.* Cum his enim lingua Graeca, quod sciam, nihil habet, quod vel fortuito congruat. Vocabulorum enim conjunctiones, quales ἄλλος ἄλλον, ἕτερος ἕτερον, aliae, quae copulantur verbi aliqua, aut potius totius sententiae praesensione, (sic v. c. ἔγωγε ὑμῖν in loco Platonis citato §° 7^a: μέγαλα δ'ἔγωγε ὑμῖν τεκμήρια παρέξομαι τούτων), aut recordatione, (sic v. c. κενὴν δικαίως in loco Demosthenis citato §° 11^a: λοιδορίαν εἶναί τις ἂν φήσειε κενὴν δικαίως), hae a Latinis illis ratione plane diversae sunt, et, cum

tantum tanquam in parenthesi sententiis aut inserantur, aut addantur, pendere ab iis sententiarum ipsarum coagmentatio non potest. Sed jam revertendum est ad comparationem Graecorum cum Latinis. Tu mihi servato verborum ordine vertas Latine Xenophonteum illud: *καὶ ἐκόσμησαν δὴ τοῦτο τὸ μνῆμα οἱ Θηβαῖοι πρὸ τῆς μάχης*; continuo illud discrimen animadvertes. Longe enim alia sententia est Graecorum illorum ac horum: *et ornarunt hoc igitur monumentum Thebani ante pugnam.* Eodemmodo: *Ἀπεχώρησαν δὲ καὶ οἱ πεζοὶ τῶν Ὀλυνθίων εἰς τὴν πόλιν.* (*Xenoph. Hell. V*, 3, 42.) v. c. non accipi eodem modo possunt, ac illa, quae §° 43ª adtuli. Nemo enim vertet: *Discesserunt autem pedites quoque Olynthiorum in urbem.* Fieri potest, — quod jam animadverti supra, — ut Latina forte Graecis congruant, aut, — quod melius dicitur, — ut parum tantum differat, utrum Graeca, ut Graeca debeant, accipias, an ut Latina; tamen nullam adhuc inveni convenientiam sententiae Graecae cum sententia Latina ex quatuor illo modo partibus constante, atque facile perspicitur caetera quoque, si conveniant, tamen magis convenire aliqua specie, quam vera ratione. Jam igitur cavendum est, ne Graeca sic accipias, ut incidendo in conjunctiones Latinas ea distorqueas. Sic v. c. minus recte vertit Didotiana Xenophontis verba: *εἴ ποτε σφόδρα τὸ στάτευμα λάβοι ἔνδεια* (*Anab. I*, 10, 18.) hisce: *si quando gravis (graviter) exercitum incesseret inopia.* Hoc enim velle videtur Xenophon, Cyrum reservasse aliquam frumenti aliamque aliarum rerum copiam, non ad inopias hoc modo graves, quo graves esse inopiae soleant, sed potius ad aliquam exercitus inopiam, quae solitis inopiis gravior accidere posset. *Σφόδρα* igitur, si Latine illa vertas, esse debet ex iis quae toti sententiae pro praedicato sunt, v. c. sic: *si quando inopia graviter incesseret exercitum.* Sic hoc. Verbum paene ex verbo vertere poteris haece: *Ἦσαν δὲ — οἱ μὲν ἀντιτεταγμένοι τῷ Ἀγησιλάῳ — Βοιωτοί, Ἀθηναῖοι κτλ* (*Xen. Hell. IV*, 3, 15.), sic: *Erant in acie adversus Agesilaum Boeotii, Athenienses etc.* (*Dido-*

tiana). Tamen οἱ μὲν ἀντιτεταγμένοι τῷ Ἀγησιλάῳ praedicative conjungere cum ἦσαν δέ, et quidem ita, ut praedicatum huius conjunctionis sit Βοιωτοὶ, Ἀθηναῖοι κτλ, — quae Latinorum illorum versionis Didotianae ratio est, — jam prohibet illud μὲν inter οἱ et ἀντιτεταγμένοι κτλ, quo fit, ut spectent haec ad Ἀγησιλάῳ δέ, quae sunt in proxima sententia. Adhibui supra (§° 45ᵃ) locum Caesaris hunce: (*Curio*) *Marcum Uticam navibus praemittit.* Hunc igitur compares cum his: Ἐκ δέ τούτου προξέρχεται τῷ Κύρῳ ὁ Γαδάτας (*Xen. Cyr. V*, 3, 26.), quae vertit Didotiana sic: *Ad Cyrum deinde/ accedit Gadatas;* et cum his: Ἐκ τούτου διαβαίνουσι πάντες εἰς Βυζάντιον οἱ στρατιῶται (*Anab. VII*, 1, 7.); quae vertit Didotiana hisce: *Exin milites universi/ in Byzantium trajiciunt.* Conjungas Graeca haec ratione Latina, jam evadent sententiae longe diversae. Jam animadverteritis, nos, ut vertamus Latine, conquirere solere verba, quae esse debeant subjecta, atque haec praeponere iis, quae esse debeant praedicata. Hinc igitur aut ex fine saepe transponuntur vocabula ad initium, aut ex initio in finem, aut alio modo eorum loci permutantur.

§ 48. Sed rationes hae copulandi altissimas radices egerant in linguarum illarum, Graecae atque Latinae, ratione interiore et tanquam arcana natura. Proficiscitur enim omnis oratio ab iis animi visis (*), quae, postquam per sensus tradita ab animo percepta sunt atque conjuncta, deinde tamen etiam sine sensuum ope ab eo retineri possunt, ac tanquam rerum imagines ei obversantur (†). Hae tamen imagines ab eo denuo apprehendi possunt, et novis meditationibus, — aut aliis quibuscunque, aut brevissimis aliquibus, quas iis adhibeamus ipsi parum rei conscii, — quodammodo informari. Sic possunt v. c., ut videtur, cum iis comparari, quae jam aliunde tenet animus, atque inde cognosci aut eadem esse atque

(*) Verbo iterum utor illo Ciceroniano, quo usus sum supra §° 33ᵃ.
(†) Steinthal Charakteristik p. 76, seq.

haec, aut ab iis esse diversa. Quod autem idem esse cognitum est, i. e. esse ex iis, quae jam tenebat animus, antequam sententiam formavit, hoc in plerisque linguis notatur articulo definito (*). Sed intelligitur his atque talibus cogitationibus animum a perceptione illa et eorum quae perceperit, conjunctione ita removeri, ut tandem percepisse se ac conjunxisse ipse amplius non sentiat. Jam igitur apparet, quodnam fuerit illud utriusque sermonis interius discrimen. Nam habet illum articulum lingua Graeca, non habet lingua Latina. Quocirca videtur oratio Latina a perceptione et conjunctione nullis talibus cogitatiotionibus disjuncta fuisse, atque igitur Latinos, dum loquerentur, percepisse se ac conjunxisse sibi adhuc conscios fuisse. Hoc tamen, res percipere, atque ea quae perceperitis, conscio animo conjungere, recte dicitur judicare (†). Latini igitur, dum loquebantur, videbantur sibi judicare, quemadmodum nos quoque in illis proverbiis judicare nobis videmur acrius, atque fere ea, quae animadverterimus, simul atque animadverterimus, eloqui; deest praeterea etiam proverbiis his, saltem plerumque, articulus definitus. Graeci contra cum non reminiscerentur percepisse se ac conjunxisse, videbantur sibi, dum loquebantur, res ipsas animadvertere, et verbis tanquam describere. Hinc intelligitur v. c., cur hoc modo vocabulis Graecis major adsignaretur gravitas, ut eorum semper urgueretur ipse sensus. Nam cum ea animadvertere sibi viderentur, quae res per se essent, haec quoque animadvertere sibi videbantur acrius, ubi animus acrius adtendebat. Sic v. c. quo magis urguetur illud *φιλόσοφος* in *φιλόσοφος ἀνήρ*, eo disertius affirmatur hominem non esse *μουσικόν* v. c. vel *ῥητορικόν*, vel *τραγικόν*, vel alium quemcunque, sed *φιλόσοφον*. Ex loco tamen in copulatione

---

(*) Conferas Steinth. libro cit. p. 309.

(†) Sic fere Lotzius vid: *Logik*, *Einleitung*, imprimis sub: *num. III*, et locos jam citatos: *Logik p.* 57 *seq.* et *Mikrokosmos I* 262.

φιλόσοφος ἀνήρ, tantum apparet disertius eum affirmari esse φιλόσοφον, quam esse eum ἄνδρα. Nam licet vocabula, quae loco urguentur, urgueantur hoc modo, ea tamen non ultra urgueri, quam ipso loco efficiatur, per se intelligitur. In Latinis contra aut nullo modo dici potest loco in sententia urgueri, aut si tamen dicere velles, ita deberet, ut posterius contra gravius diceretur priore, sed gravius tantum, quod ad ipsam sententiam adtineat, in qua illa proponantur. Judicia enim imprimis fieri dici possunt per praedicata, et sunt, ut vidimus, in Latinis posteriora semper priorum praedicata. Non igitur Latini, quid res per se essent, examinabant, sed id semper ponebant loco posteriore, quod et ipsos magis latuerat, et imprimis nesciri videbatur ab aliis. Quid quod ea quae simul eloquimur, atque animadvertimus, — et solet hoc, ut vidimus, oratio Latina — haec ne possumus quidem examinata habere, comparata cum alliis, antequam eloquimur. Quod igitur Graeci urguebant, hoc tanquam coram dubitantibus affirmabant, quod Latini ponebant loco posteriore ,hoc eo quod prius positum erat, industrius nescientes potius docebant. Sed, ut intelligitur, quod esse rei alicujus et animadvertimus et alios docemus, hoc magnopere ejus esse ideo non debet. Sic v. c. si *virum* dicimus *philosophum*, parum constat, utrum is hoc fuerit simpliciter, an potius ita, ut a non philosophis magnopere distingueretur. Jam igitur apparet, cur rectius dicantur Latina loco in sententia nunquam urgueri, et ea v. c., — quod jam indicavi supra §° 24[a], — quae diserte aliis opponantur, urgueri tantum ideo, quod opponantur.

§ 49. Jam igitur inter Latina et Graeca nulla revera comparatio est. Etiam hic tamen paucis agendum est de convenientiis fortuitis, quae, ut vidimus, hic illic accidunt. Sic v. c. in verbis hisce: οἱ δ' ἔφοροι . . . . . Κλεόμβροτον ἐκπέμπουσι (*Xen. Hell. V*, 4, 14.), Xenophon Κλεόμβροτον verbo anteponit, quia animo eum opponebat Agesilao, — de quo sermo est in antecedentibus, — qui, quin mitteretur,

recusarat. Haud aliter tamen Latini dicere debuissent: *ephori Cleombrotum mittunt;* non enim haec totius sententiae ratio fuit, ut diceretur, quinam expeditionis praefectus esset, sed potius, ut expeditio ipsa, Cleombroti missio, enarraretur. Illud si dicere voluisset, dixisset v. c. *ephori mittunt Cleombrotum,* aut etiam: *mittunt ephori Cleombrotum.* Eodemmodo v. c. vertere debemus: πολλοὶ ... εἰς φυγὴν ὥρμησαν (*Helt. VI*, 5, 31.) hisce: *multi in fugam conversi sunt;* non enim demonstrare imprimis volumus, quo tendat conversio, sed ipsam potius hanc enarrare. Graeci igitur urguebant vocabula, cum ea iis etiam, quae extra sententiam essent, opponerent. Latini contra ponebant locis posterioribus, quae ipsa sententia, ut praedicata essent, exigeret.

§ 50. Sed fuit fons magna convenientiarum frequentissimus ille usus in lingua Graeca particularum μέν en δέ. His enim plerumque opponebantur sententiarum ant colorum initia initiis, dum Latini, ut distinctius proponerent, de quibus judicaretur, et cum subjectorum simul differentia notarent differentiam praedicatorum, haud raro subjecta opponebant subjectis, praedicata praedicatis. Quae res facilius cognoscitur ex sententiis, qualis est v. c. haec: *Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit* (*Cic. de Orat. III*, 7, 28.); sed tamen haud minus apparet in sententiis perfectioribus, quales sunt haece: *duo praeterita censet esse a Panaetio, valetudinis curationem et pecuniae . . . . Sed valetudo sustentatur etc. Res autem familiaris quaeri debet etc.* (*de Off. II*, 24, 86, 87); *Sed Simonidem arbitror. . . . . desperasse. . . . . Epicurus vero tuus . . . quid dicit . . . .?* (*de Nat. Deor. I*, 22, 60, 61). Harum igitur cum Graecis illis facillime nasci aliquam congruentiam, statim perspicitur. Cum tamen, ut in caeteris omnibus, sic etiam hic Graeca Latinis congruant tantum fortuito, intelligitur ea in locis haud paucis etiam non congruere. Sic v. c. non congruunt in hisce: Ἐπεὶ δ' ἐξῄεσαν μέν οἱ Λακεδαιμόνιοι, ξυνειλεγμένοι δ' ἦσαν οἱ ἐναντίοι (*Xenoph. Hell. IV*, 2, 10.); quae recte sic vertit

Didotiana: *Postquam Lacedaemonii copias eduxerunt, hostes eorum collecti sunt.*

§ 51. Quid quod in aliis, imprimis in enuntiationibus ant sententiarum colis brevioribus, vel hanc dilexisse videntur Latini disponendarum vocubulorum rationem, ut posterioris cujusque enuntiationis subjectum, suscipiatur quodammodo ex proxime antecedentis praedicato. Sic v. c. in loco hoce Ciceronis: *Jam vero in Graecia multos habent ex hominibus Deos, Alabandum Alabandi, Tenedii Tenem etc.* (*de Nat. Deor. III*, 15, 39.), ant in hoce: *contentionis praecepta rhetorum sunt, nulla* (quod idem fere valet ac *non sunt*) *sermonis* (*de Off. I*, 37, 132.); nec aliter in hoce: *coeptatque et ea, quae naturae apta sentit, appetere, et propulsare contraria* (*de Fin, V*, 9, 24.), aut in hoc: *magis ... ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis ant rei publicae dignitate* (*de Orat. III*, 2, 7.). In his igitur subjecta sententiarum posteriorum respondent quodammodo sententiarum priorum praedicatis. Graeci contra in talibus plerumque ea vocabula, quae opponebant, eodem fere disponebant ordine, quo ea quibus opponebatur.

§ 52. Copulandi ratio linguae Latinae haud adeo est difficilis intellectu, quamquam etiam haec melius explicari poterit, si melius constiterit, — quae res mihi saltem videtur esse obscurior, — de ratione, quae est inter subjectum et praedicatum logicum. Multo tamen minus in promptu est psychologica explicatio copulandi rationis linguae Graecae; et quamquam veram, quod sciam, praebent ea quae disputavi de linguae Graecae ratione interiore, tamen simul, quin sit haec adhuc imperfectior, non dubito. Sed hanc, licet imperfectiorem, tamen paulo explicatius proponam. Animadvertimus Graecos res ipsas videre sibi visos esse, et si loquerentur, verbis describere. Debuerunt igitur una sententia tanquam unam rem exprimere, ut animus eorum, antequam loquerentur, plurium rerum visa in unius rei visum conjungere soleret. Qui enim res ipsas videre credit, hic non sibi videbitur loquendo rei partes conjungere et tanquam rem ipsam constituere. Poteris tan-

tum, si tibi, quemadmodum Latini, si loqueris, de rebus judicare videris, loquendo judicii partes, — subjectum et praedicatum, — conjungere, et de re judicium constituere. Sic igitur, si Latini dicebant v. c. *vir occidit* observabatur eorum animo et *viri* imago et *occisionis*, et hanc cum illa judicando conjungebant, aut potius, — hoc enim fieri solebat per copulam logicam (vid. §um 36am), — eas conjungebant simul et distinebant. Sin contra Graeci dicebant *ὁ ἀνὴρ κτείνει*, una iis obversabatur animo *occidentis viri* imago, atque hanc verbis exprimebant. Jam ita fere facta fuisse videtur sermonis Graeci illa visorum conjunctio, — quamquam haec imprimis est, quam accuratius explicari vellem, — ut duorum semper visorum primum rem ipsam exprimere videretur, alterum ei explicationem adjungere, qualis esset. Sic v.c. si videmus occidentem virum, hoc alicui videri potest aut esse imago alicujus occisionis, — et Graeci sic dicerent *κτείνει*, adjuncto huic *ὁ ἀνὴρ*, ut occisionis notio amplificaretur auctoris commemoratione, — aut esse imago viri alicujus, — ut Graeci dicerent *ὁ ἀνὴρ*, et hunc qualis esset, explicarent adjungendo *κτείνει*, quo vir qui describitur, indicatur esse occisorem. Latino *occidit vir*, ut novimus, praecipue hoc fere indicatur, quisnam occisor fuerit. Sed non tantum duo, verum etiam plura visa conjungebantur; quod sic fiebat, ut visum, quod ex duorum conjunctione exstitisset, hoc iterum cum alio, et quod inde exstitisset hoc iterum cum quarto conjungeretur, et ita porro; sententiae autem Graecae, ut vidimus, saepe plures copulationes comprehendebant. Sed fortasse totum hoc copulandi discrimen linguae Graecae atque Latinae simpliciter sic explicari poterit, ut dicamus sententias Latinas esse judicia synthetica, Graecas analytica. Memineritis praeterea in Grammaticis *adtributivas* nominum copulationes eas dici solere, quae conjunctione sua unam rem exprimant, *praedicativas*, si duas separatas res ipsa sententia enuntianda conjungamus. In Graecis, ut jam animadvertimus p. 42. *in nota*, conjunctiones praedicativae sunt adtributivae, quae fiunt

cum verbo. Sed haec hactenus. Explicari praeterea etiam hoc jam poterit, cur fuerit in Graecis sententiarum tanquam stirps quaedam atque fundamentum verbum finitum. Priscis enim hominibus (de qua re egi §° 35ª) videri solebant omnia, quae sunt, tanquam in actione versari, ut paene in eo, quod res aliquid agere videbantur, earum naturam ponerent. Jam igitur Graeci videri sibi potuerunt describere res ipsas, si semper earum actiones commemorarent. Verbum igitur in se quodammodo continebat totam sententiam, et caeteris orationis partibus tantum id quod verbo erat expressum, amplificabatur. Fiebat autem hoc eodemmodo, quo v. c. amplificabantur nomina nominibus; vidimus enim supra omnes partes orationis grammatice convenire cum verbo (vid. §ºs 39ªm et 46ªm). Arctius quidem, ut vidimus (§° 46ª), cum verbo conjungebantur alia aliis, sed referri debebant caeterae quoque sententiarum partes, sive erant vocabula singula, sive vocabulorum copulationes, aut ad verbum nudum, aut ad copulationem, in qua verbum erat. Sic supra saepius dixi ea nomina, quae ab aliis disjuncta essent, referri debere per se ad verbum. Exempla sententiarum in partes suas divisarum et alibi proposui, et §° illa 46ª. Apud Latinos, ut vidimus, saepissime quidem verbum praecipuum praedicatum erat; poterant tamen absoluta judicia esse etiam sine verbo. Sed jam satis de his. De eo, quod deest Latinis articulus, supra vidimus.

§ 53. Unum tantum addam de modis verborum; etiam in eo enim, quod hos diverse adhibuerunt, diversa illa linguarum ratio apparet. Cum enim Graeci res ipsas sibi viderentur describere, indicabant Indicativo ea, quae videbantur revera *esse*, Potentiali (Optativo-Conjunctivo) ea, quae tantum videbantur *esse posse*, Latini contra, cum sibi viderentur de rebus judicare, Indicativo judicabant, de iis quae *ipsi affirmare poterant*, Potentiali de iis quae *non poterant*. Cum tamen ipsi affirmare non tantum ea non possent, de quibus in incerto esset, num revera essent, sed etiam ea, quae, licet

essent, ipsi tamen non animadvertissent, intelligitur, cur Latini adhibuerint quoque Potentialem, ubi res commemorarent de opinione aliorum.

§ 54. Sed etiam in linguis recentioribns enuntiatio a perceptione longius distat. Se interponit enim illa Logice, — quam dicere possemus grammaticam, — cui ea, quae percepimus accommodare debemus, antequam eloquimur. Jam vidimus Latinos tot judicare copulis logicis, quot copulentur vocabula vocabulis, copulationes vocabulorum copulationibus, — copulis quidem, quarum aliis acrius judicabatur aliis (acerrime ea, qua tota sententia dividebatur), sed generis tamen omnibus ejusdem. Nos igitur in eo propter illam, cui percepta animi accommodemus, Logicen ab ratione linguae Latinae distamus, quod cum copula esse debeat verbum, una sententia (praeter sententias, ut apparet, a conjunctione pendentes, quae majori sententiae subjungantur) uno tantum judicamus judicio, caetera vero adtributive (ut ea sic conjungi hic dicam, quae non per judicium totius sententiae conjungantur) aut copulae (verbo) adjungimus aut praedicato. Sic v. c. vertere poterimus verba haec Caesaris: *Caesar// ex eo/ loco/// quintis/ castris// in Gergoviam/ pervenit* his fere: *Caesar* (subject.) — *is uit die plaats* (copula) — *met vijf bivakken te Gergovia gekomen* (praedic.); potuisses *met vijf bivakken* etiam conjungere cum copula. In Caesarianis tamen illis primo cum *Caesar* copula logica conjungitur *ex eo*, quod tamen proprium praedicatum habet sc. *loco*; his deinde praecipua sententiae copula adjungitur *quintis*, quod et ipsum definitur per *castris*, his autem conjunctis *in Gergoviam*, quod et ipsum definitum est per *pervenit*. Sed recentiores, ea quae in sententia praeter illud totius ejus per verbum judicium proponunter, haec semper fere vertunt in judicia praeterita, quae dicere solemus analytica. Talia enim judicia dici v. c. possunt copulationes illae adtributivae locutionum adverbialium cum verbis, quales illae: *is van die plaats*, et *met vijf bivakken te Gergovia gekomen*, talia etiam substantivorum cum ad-

jectivis. Quanto igitur usui etiam nobis sit articulus, apparet. Hoc enim, ut vidimus, ea indicantur, quae jam antea judicio cognita tenet animus. Per eum igitur facillime ea, quae percepimus in judicia analytica vertimus (*). Quod quale sit, intelligetur, si proverbia illa verterimus in sententias formae solitae. Sic enim adsumere debueritis articulum; v. c. si dixeritis: *indien het geschreeuw veel is, is de wol weinig.* Sed jam apparet illud pluribus praesentibus judiciis judicare, a ratione linguarum recentiorum satis alienum esse. Unde fit, ut nos vel in illis proverbiis ultra duos copularum ordines non progrediamur; quos habes v. c. in hoce: *heden/ rood// morgen/ dood.* Ubi pluribus opus esset, adhibemus articulum v. c. in hisce: *ein alter Mann/ ein junges Weib// gewisse Kinder; beter/ een half ei, dan een ledige dop.* Hoc tamen genus illo sine articulo rarius est. Articulum definitum in nullo inveni tali proverbio, nisi in hoc: *heden/de tong gevierd// morgen/ de rug gesmierd,* quod tamen usu quotidiano non tritum est. Sed jam intelligitur, cur parum mihi satisfecerim, cum explicarem v. c. haec: *venerant/ eo// sagittarii/ ex Rutenis,* hisce: *ii qui eo venerant erant sagittarii ex Rutenis*, et dicerem quidem, quid res *potius* essent, non tamen quid essent revera (vid. §um 31am). Etenim, ut Latina accommodarentur nostris, esse debuit totius sententiae copula verbum substantivum (*erant*), debuit copularum ordinis inferioris prior tolli (quod factum est vertendo *venerant eo* in enuntiationem relativam pronomini demonstrativo adjunctam, hance: *ii, qui eo venerant*), altera vero tantum forte quadam non debuit, quia nos hoc loco ea quae Latini conjungunt praedicative, haec eodem ordine conjungere possumus adtributive (*sagittarii ex Rutenis, boogschutters uit de Rute-*

(*) *Steinthal. libr. cit. p.* 309. Was nun endlich den Artikel anbetrifft, so ist festzuhalten, dass er nicht bestimmt, sondern Zeichen der Bestimmtheit ist..... Das Demonstrativum nämlich bestimmt; der Artikel bezeichnet ein vorangegangenes Bestimmen d. h. eine Bestimmtheit.

nen). Nihil igitur aliud feci, nisi Latina ita immutare, ut Belgicis forte convenirent. Quo tamen, ut intelligitur, ab illorum vera sententia discessi. Sed jam satis de his. Quod dixi Latinos judicare judiciis praesentibus, hoc, ut intelligitur (vid. §um 48am), sic volui, ut semper eos ea, quae animadverterint, tanquam simul atque animadverterint, et eodem ordine, quo animadverterint, elocutos esse credideri, — non sic, ut nunquam eos de iis iterum judicasse perhibuerim, de quibus jam semel judicassent. Tantum id, se jam judicasse antea, nullo modo in verbis indicabant. Praeterea etiam hoc non negligendum est, — quod etiam jam indicavi supra (vid. §um 40am), — Latinos copula illa logica multo universius judicasse, quam nos verbo, atque potius universe indicasse judicari, quam partem eorum expressisse, quae judicarentur. Unde intelligi potest, quomodo possit una sententia copularum harum plures habere.

§ 55. Sed de caeteris, ut arbitror, consenseritis; tantum dubitabitis fortasse, num conjuncta quoque sint praedicativie nomina cum nominibus. De his igitur separatim videamus. Animadverti supra (§° 49a) in copulationibus per copulam logicam, id quod positum sit posterius, hoc quodammodo a sententia, quam animo conceperimus, priore magis requiri. Jam igitur haec res in copulationibus quoque nominum apparet. Etiam hae enim aut aliis subjiciuntur, aut aliorum sunt praedicata. Quando igitur aliis subjiciuntur, de priore nomine nihil praedicatur, antequam posteriore, quod est proprium ejus praedicatum, definitum est. Eodemmodo, quando praedicata sunt, prius nomen praedicatum non est, nisi quia posteriore definitum est. Pendebat igitur a nomine poteriore quodammodo, quid tota copulatio ad sententiam valeret. Hoc igitur, quod supra animadverti de copulationibus omnibus universe, videndum hic est de copulationibus nominum. Rem, ut feci in aliis, explicabo exemplis. Quando v. c. dicimus: *Tuscus ager Romano adjacet* (locum citavi §° 24a) de duobus agris aliquid comme-

moratur (sc. alterum alteri adjacere), non hoc imprimis indicare volumus pertinere quodammodo rem aliquam *Tuscam* (sc. agrum) ad rem aliquam *Romanam;* sic enim dicere deberemus: *ager Tuscus adjacet Romano.* Res tamen melius intelligetur ex aliis exemplis. Ubi v. c. dicit Cicero: *Cynicorum vero ratio tota est ejicienda* (*de Offic. I*, 41, 148), docet nos fere, quid sit Cyncorum, quod sit ejiciendum, minus diserte, rationem, quae ejicienda sit, esse debere Cyncorum. Contra ubi dicit: *ne amores quidem sanctos a sapiente alienos arbitrantur* (sc. Stoici) (*de Fin. III*, 20, 68.), non hoc imprimis perhibet Stoicos non arbitrari esse aliquos amores a sapiente alienos, — hoc enim jam satis demonstraverat in antecedentibus, ubi dicit eos non spernere amores uxoris atque librorum, — sed dicit non alienum fuisse a sapiente certum amorum genus, scilicet sanctorum. Eodem modo Caesar, ubi dicit: *Hic pagus unus .... Lucium Cassium consulem interfecerat* (*B. G. I*, 12.), pagum hunc unum indicat interfecisse consulem sine auxilio aliorum. Cicero contra in loco ex libro *primo de Off.* 16, 51, ubi, postquam citavit Enium hortantem nos erranti comiter monstrare viam, ipse sic pergit: *Una ex re satis praecipitur, ut, quidquid sine detrimento commodari possit, id tribuatur vel ignoto*, non hoc perhibet ex uno separatim a caeteris hoc praecipi exemplo, sed ex exemplis hoc praecipi, vel ex uno. Caesar, si in verbis hisce: *Huic rei idoneos homines deligebat, quorum quisque aut oratione subdola, aut amicitia facillime capi posset* (*B. G. VII*, 31.) dixisset pro *oratione subdola*, *subdola oratione*, indicasset hominum illorum esse aliquam rem subdolam et quidam orationem, ut hanc ad homines capiendos tanquam instrumentum, quod antea sibi comparatum haberent, promerent. Nunc indicat oratione illorum homines capi, dummodo sit subdola, — si sit subdola, — quia subdola. Aliud exemplum sunt verba Caesaris haece: *id* (Chara, radicis genus admixtum lacte) *ad similitudinem panis efficiebant* (*B. C. III*, 48.), ubi hoc imprimis ostenditur, ad cujusnam rei similitudinem Chara effectum sit, non hoc, quid

sit ex iis, quae panis sint, id ad quod Chara effectum sit (scl. id effectum esse ad panis similitudinem). Aliud exemplum est locus hic Ciceronis (*de Fin. II*, 15, 35.): *aliud .... est dolere, aliud laborare .... Est inter haec tamen quaedam similitudo. Consuetudo enim laborum perpessionem dolorum efficit faciliorem*, in quo non adeo affirmat consuetudinem aliquam perpessionem efficere faciliorem, sed praesertim indicat aliquid quod laborum sit, facilius efficere aliud aliquid, quod sit dolorum, ut probet esse inter haec, inter labores atque dolores, aliquam similitudinem. Si illud dicere voluisset, dixisset: *laborum enim consuetudo, dolorum perpessionem efficit faciliorem.* Praeterea, ut exempla etiam afferam copulationum nominum quae sunt praedicata, in hisce: *Affert autem vetustas omnibus in rebus longinqua observatione incredibilem scientiam* (*de Divin. I*, 49, 109.) affirmat Cicero afferre vestustatem scientiam aliquam, non adeo afferre eam aliquid, quod sit incredibile. Eodemmodo in hisce: *Arctior vero colligatio est societatis proprinquorum* (*de Off. I*, 16.), non affirmatur adeo arctiorem colligationem esse alicujus societatis, sed esse eam societatis certae cujusdam, scilicet propinquorum. Sed jam intelligitur, cur recte verterit Cicero Xenophontis verba: *οὐδὲ τοῦτο πώποτε ἐπείσθην, ὡς ἡ ψυχή, ἕως μὲν ἂν ἐν θνητῷ σώματι ᾖ, ζῇ, ὅταν δὲ τούτου ἀπαλλαγῇ, τέθνηκεν*, hisce: *Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere* etc. Quod enim animus dici solet vivere in corpore, sine corpore mori, hoc ideo Cyrus moriens miratur, quia sit mortale. Vivere igitur illud de corporibus praedicatur, quia mortalia sint; quia mortalia sint non persuaderi potuit Cyro vivere in iis animos. Eodemmodo Didotiana recte vertit illud: *ὅταν νομεὺς ἀγαθὸν κύνα ἔχῃ*, his: *ubi pastor aliquis canem bonum habet;* caeteri enim pastores, — nam Xenophon sic pergit: *καὶ οἱ ἄλλοι νομεῖς βούλονται πλησίον αὐτοῦ τὰς ἀγέλας ἱστάναι, ἵνα τοῦ κυνὸς ἀπολαύωσιν*, — frui eo cupiunt, ut intelligitur, minus quia canis sit, quam quia bonus sit canis. Eodem modo caetera quoque illa explicanda exempla

sunt, quae proposui §° 24ª. Sed jam plane intelligitur posterius nomen in talibus ad sententiam plus facere, quam prius. Nam vidimus in illis exemplis de *oratione* v. c. posse praedicari *capere*, quia sit *subdola*, de *cane*, *expeti*, quia pastor eum habeat *bonum*. Quocirca per haec (*subdola* et *bonus*) stare paene dici sententiae possunt, quia hae, nisi de *oratione* et *cane* illa praedicentur, nullae sunt omnino. In eo autem, quod adjectiva haec cogitationibus nostris, — nam lingua nobis impressit, ut vidimus, certam quandam cogitandi rationem, — accommodari non possunt, nisi vertendo ea in enuntiationes pendentes a conjunctionibus *quia*, *si*, talibusque, (in quibus apud nos quoque adjectivum praedicatum est,) in hoc sentimus aliquid judicii praesentis. Quando adjectivum aut genitivus substantivo praeponitur, v. c. *incredibilis* substantivo *scientia*, est quidem *res aliqua incredibilis* (*vid.* §ᵘᵐ 38ᵃᵐ), nisi saltem tota sententia duobus illis nominibus absoluta est, aut subjectum, aut praedicatum, sed non est, nisi quia eandem rem peculiari judicio cognovimus esse scientiam; est igitur *scientia* quodammode magis subjectum aut praedicatum, quam *incredibilis*. Sit scientia simul quamvis incredibilis, tamen non propter id ipsum, quod eam cognovimus esse incredibilem, perhibemus eam illam esse quae, — ut plane ad illud exemplum revertar, — *afferatur a vetustate*. Sublato igitur nomine priore, multo quidem exilior evadit sententia, stat tamen adhoc quodammodo, aut saltem ejus aliqua umbra; sublato contra posteriore, plane concidit. Graeci, antequam loquebantur, examinata habebant nomina, utrum ex iis adjectivum magnopere substantivi esset, an minus, i. e. utrum v. c.: in φιλόσοφος ἀνήρ industrius opponeretur φιλόσοφος viris μουσικοῖς, ῥητορικοῖς, τραγικοῖς, aliis, an potius ἀνήρ, mulieri, seni, pueris, vel aliis, quos cogitare posses; de quare supra vidimis §° 48ª. Latinorum tamen, ut intelligitur, si dicebant canem propter bonitatem expeti, aut oratione capi homines, quia subdola, parum intererat, utrum *canis bonus* disertius affirmari

deberet esse bonus, quam esse canis, aut disertlus *oratio subdola* esse subdola, quam esse oratio, (ut animo bonum canem malis opponerent, vel aliis quibuscunque, aut subdolam orationem, fidei plenae vel alii), an potius canis disertius esse canis, quam bonus, (ut opponeretur v. c. equis, asinis aut aliis quibuscunque), aut oratio disertius oratio, quam subdola (ut v. c. opponeretur cogitationi, vel alii rei cuicunque). Est igitur in Latinis nomen alterum praedicatum prioris, ut quod priore universe propositum sit, hoc posteriore in genus minus universum contrahatur. Quod fieri solere per praedicata animadvertimus etiam in nostris judiciis, quale est v. c. *de man is goed;* virorum enim bonorum genus minus universum est, quam virorum. Inde igitur apud Latinos cognomina poni solent post nomina, ut v. c. ubi dicunt *Aristo Chius*, ex Aristonibus qui fuerint, seligatur is qui Chius fuerit. Potest tamen ex Chiis etiam seligi Aristo, ut dicatur *Chius Aristo.* Eodemmodo v. c. pro *Tarquinius Priscus* dici potest, licet dicatur rarius, *Priscus Tarquinius* (*Cic. de Div. I*, 17, 31.). *Immortales* tamen, quod sciam, *Dii* semper sequitur, quia nullum universius genus immortalium est, quod et Deos et alios comprehendat. Quae res, nomine posteriore ex prioris nominis genere universo definiri genus minus universum, patet etiam in hoc loco: *Quam ob rem cum dicimus omnia fato fieri causis antecedentibus*, *non hoc intelligi volumus causis perfectis et principalibus, sed causis adjuvantibus*, *antecedentibus et proximis* (*Cic. de Fato* 18, 41.); in quo, ut videtis, satis magnus numerus causarum generum distinguitur. Sed sunt talia genera, ut omnia, quae contrahit lingua Latina, ut ita dicam, subitaria. Nam tantum, ut vidimus, eloquitur haec lingua, quae animadvertit, non genera, quae semel nacta est, articulo v. c, conservat (sic nos v. c. *de Bactrische kameel*, *de Indische olifant*, *de Africaansche kameel*, *de Africaansche olifant*, sed etiam *blauwe druiven*, *witte bessen*). Sed genera haec Latina, etsi forma nullam indicabat perpetuitatem, tamen potuerunt a linguae consuetudine

recipi (vid. §um 54am, *in fine*). Ex his igitur generibus non forma quidem sed tamen re perpetuis, sunt v. c. illa genera *rerum* et *virorum*, qualia sunt e. g. *res familiaris*, *res militaris*, *res publica* (*staat*), *vir consularis*, *vir praetorius* alia, sunt etiam genera illa atque species, quas habent disciplinae Botanica et Zoologica. In his igitur atque talibus adjectivum semper fere ponitur loco posteriore. Graeci contra dicunt *ἀνὴρ φιλόσοφος*, aut *φιλόσοφος ἀνήρ*, *ἀνὴρ τραγικός*, aut *τραγικὸς ἀνήρ*, *ἀνὴρ πελταστικός* aut *πελταστικὸς ἀνήρ*, atque utra horum frequentius, nemo dicet.

§ 56. Sed quemadmodum caetera judicia linguae Latinae, sic etiam nominum copulationes plura continere poterant judicia ordinis inferioris. Sic v. c. haece: *idem ille // non linguae solum, verum etiam animi ac virtutis, magister* (*Cic. de Orat. III*, 34, 139.), et: *propter animi, multarum rerum // brevi tempore percursionem* (*Fusc. IV*, 13, 31.). Tu ipse alias conquiras; sunt enim numero paene infinitae.

§ 57. — Duo hic adjungam animadversu, ut arbitror, haud indigna, alterum, apud nos quoque ea quae dicantur *apposita*, substantivis praedicative fere adjungi v. c. in: *een man*, *dapper in den strijd*; — alterum hoc,

§ 58 Graecos, ubi eodem tempore nominibus nomen adtribuerint, quo id fieri dictum sit, quod indicatum sit verbo, conjunxisse nomina per participium verbi substantivi, Latinos contra hoc participium, quia nunquam eo iis opus fuerit, non excoluisse, sed cum semper vocabula adjunxerint vocabulis judicio praesenti, simpliciter nomina nominibus adjungendis id quoque expressisse, quod Graeci illo participio. Sic, v. c. in hisce: *Magna nobis pueris . . opinio fuit L. Crassum. . . adtigisse* (*Cic. de Orat. II init.*) Graeci praetulissent *nobis* et *pueris* conjungere per *οὖσι*.

§ 59. Sed jam ratio perspicitur illarum nominum disjunctionum, — sic enim eas nominavi, — quas supra §0 25a, et 26a comparavi cum disjunctionibus Graecis. Nam cum omnes copulationes fiant copula illa logica, qua judicetur

judicio praesenti, apparet nomina, quae arctius cohaereant cum alio quodam vocabulo, quam cum nomine altero, ad quod propter casum referenda sint, eo tantum ab aliis differre, quae cum nullo arctius, quam cum hoc cohaereant, quod in his nomina disjungantur copula ordinis inferioris, in illis copula ordinis superioris; sic v.c. copula ordinis inferioris in hoc: *voluptates / dispares // oblectant*, superioris in hoc: *voluptates/ oblectant // dispares*. Audivimus Graecos nunquam disjunxisse ab aliis nominibus *adtributa*, atque apud eos omnia ad verbum referri debere, quae per se in sententia constent. Apud Latinos tamen, cum *adtributa* ratione non diverse erant a *praedicatis*, sed eadem copula logica, qua universius judicabatur quam nostra, et quae, ut ita dicam, nostras *adtributiones* simul comprehendebat, ac *praedicationes*, hac et *praedicative* conjungerentur vocabula et *adtributive*; cumque omnis illa linguae Latinae deesset per se constantium sententiarum partium ad verbum relatio, — facillime intelligitur, cur in ordinem superiorem efferri potuerint copulae, (quod fit, ut vidimus, si dicimus v. c. pro: *voluptates dispares oblectant*, *voluptates oblectant dispares*) ét eorum quorum apud Graecos alterum alterius esset *adtributum*, ét eorum quae separatim apud eos referri deberent ad verbum. Quando igitur dicimus: *voluptates / oblectant // dispares*, primo perhibemus voluptates esse aliquas oblectantes (hoc enim fere valet *oblectant*; *vid.* §um 39am), deinde, — et quidem judicio ordine illo superiore, — oblectantes eas esse dispares. Explicavi haec, ut videtis, ponendo pro copula logica nostram, verbum substantivum; quod tamen fit, ut supra demonstravimus §° 54a, minus accurate. Eodemmodo in illo: *naturam / adtingit // humanam*, copula ordine superiore perhibetur naturam, quae adtingatur, esse humanam, altera hac ordine inferiore eam adtingi, Praecipua totius sententiae copula disjuncta habes nomina in hisce: *sensibus enim ornavit ad res perspiciendas idoneis* (*Cic. de Fin. V*, 31, 59.), quae si explicas his: *sensus, quibus ornavit idonei sunt,* immerito in enuntiationem ordinis inferioris ver-

teritis (sc in hanc: *quibus ornavit*), quae sunt sententiae ipsius majoris; quando contra per haec: *sensibus ad res perspiciendas idoneis ornavit*, copulam sustuleritis praecipuam. In loco enim Ciceroniano statuitur judicio praesenti ordinis inferioris esse aliquid sensibus ornatum, praecipuo totius sententiae judicio sensus, quibus aliquid ornatum sit, esse idoneos. Aliud exemplum nominum copula totius sententiae disjunctorum habes in verbis hisce Caesaris: *Paucis cum esset in utramque partem verbis disputatum* (*B. C, I,* 86). Sed multo frequentius ea dividitur majoris sententiae praedicatum, v. c. in illis: *primus ille, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam adtingit humanam*, et: *reliquos sensus voluptates oblectant dispares.* Nonnumquam tamen etiam subjectum, sic in loco hoce: *Hos ego asotos bene quidem vivere aut beate nunqnam dixerim* (*Cic. de Fin. II,* 8, 24.), in quo *hos* praedicative explicatur primum per *ego*, deinde copula ordine paulo superiore per *asotos. Hos* et *ego* sic posse conjungi intellexeritis ex §° 44_a; eodemmodo v. c. *Haec* et *Afranius*, *Petrejus et eorum amici*, conjuncta sunt in hisce: *Haec Afranius, Petrejus, et eorum amici, pleniora etiam atque uberiora Romam ad suos perscribebant* (*Caes. B. C. I,* 53.); sed conferatis ipsam illam §^{um}.

§ 60. Ingens imprimis est numerus eorum nominum, quae disjunguntur illa copula, vel praecipua totius sententiae, a pronomine relativo aut demonstrativo. His enim prononimibus, quod est, ut vidimus (§° 55^a), etiam *subjectorum*, naturaliter res indicatur universe, atque igitur naturaliter subjiciebantur nominibus substantivis, quibus id quod pronomine propositum erat, ornabatur. Sic v. c. ubi apud Ciceronem Crassus dicit: *Haec tibi est excidenda lingua* (*de Orat. III*, 1, 4.), — quibus verbis invehitur in consulem Philippum, — non imprimis ostendere vult, quid de lingua fiat, sed postquam per *haec tibi*, — quae, ut intelligimus, per se absoluta enuntiatio est, — universe indicavit esse de re aliqua, — quam fortasse digito demonstravit, —

aliquid faciendum a Philippo (*tibi*), hanc deinde totius sententiae praedicato docet esse aliquam, quae *excidenda sit*, atque hanc iterum, praedicati praedicato proprio, esse *linguam*. Aliud exemplum hoc est: *quae autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea saepe universam excitat* (*Cic. de Off. II*, 14, 48.), pro quibus, si dixisset: *quae autem oratio* etc., opponeretur genus orationis, quod haberetur in multitudine cum contentione, generi alicui alii. Quae tamen loci ratio non est. Dixit enim in antedentibus Cicero duplicem esse rationem orationis, quarum in altera sermo esset, in altera contentio. Voluit igitur nunc orationem aliud facere, nunc universam multitudinem excitare, illud si in sermone versaretur, hoc si haberetur cum contentione, atque igitur loquitur de genere uno alio tempore versante in re alia, non duo separata orationum genera distinguit. Sic etiam, si pro hisce: *quae si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur* (*de Off. II* 6, 20.) Cicero dixisset: *quae oratio* etc., distinxisset id quod de oratione fieret, si longior esset, ab alio quodam, quod fieret de ea, si esset alia quaedam, quam longior. Quae tamen non est loci ratio. Ejusdem generis sunt Ciceronis verba haece: *quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causae amicorum vel res publica tribuet otii, ad scribendum potissimum conferam* (*de Orat. I*, 2, 2.), ubi imprimis dicitur aliquid otii conferri ad scribendum, atque hoc obiter paene indicatur esse id otii, quod tribuat fraus inimicorum etc., non adeo, — quod factum esset, si dixisset v. c. *quantum mihi otii* etc., — id otii tanquam certum genus conferri, quod fraus inimicorum et alia illa tribuant. Idem igitur est illud discrimen, v. c. illius: *quae si longior fuerit oratio, comparetur*, ab hoc: *quae oratio si longior fuerit, comparetur*, ac fere nostri: *mocht de redeneering bij geval te lang zijn, dan moet zij vergeleken worden* ab hoc: *de redeneering moet, ingeval zij te lang is, vergeleken worden.*

§ 61. Sed haec hactenus. Unum addam exemplum nominum disjunctorum nominis interpositione, hoce: *citeturque Salamis*

clarissimae testis victoriae (*Cic. de Off. I*, 22, 75). Cujus generis sunt etiam alia, satis multa.

§ 62. Sed, ut in caeteris, sic etiam in disjunctionibus his nominum ad comparationem cum Graecis revertar. Sic v. c. locum ex Demosthene, quem citavi §° 11ª: *ἐγὼ δ'ἐκείνων μὲν ἔπαινον τὸν χρόνον ἡγοῦμαι μέγιστον..... αὐτὸς δὲ πειράσομαι.... εἰπεῖν*, non recte verteres verborum ordine servato hisce: *ego vero horum quidem* (*antiquorum sc*) *laudationem tempus arbitror* (*esse*) *maximam.... ipse vero* etc. In Graecis enim illi *ἐκείνων μὲν* opponitur sequens *αὐτὸς δέ*, ut orator dicat se missum facere antiquorum exemplum, ipsum se dicere conaturum suis argumentis; in Latinis tamen opponitur *αὐτὸς δέ, ipse vero*, illi: *horum laudationem;* horum enim verborum arctior in iis est conjunctio, quam in Graecis illis illorum *ἐκείνων* et *ἔπαινον*; nec hoc adeo demonstrare voluit Demosthenes, qualis eorum laudatio tempus esset, sed hoc potius, quaenam esset eorum laudatio maxima. Melius igitur vertit Wolfius: *Ego vero laudationem eorum maximam puto ipsum esse tempus.* Eodem modo haud recte verterentur Xenophontis illa, quae citavi §° 10ª, *καὶ πλοῖα πλεῖ ἐν αὐταῖς σιταγωγά* his: et *navigia navigant in iis frumentaria.* Non enim sententiae hujus praecipuum munus est dicere, quodnam genus navium in iis naviget, sed potius in iis navigare navigia, navigia scilicet, — quod obiter magis monetur, — frumentaria. Quocirca rectius vertit Didotiana: *atque navigia in iis frumentaria ferri solent.*

§ 63. Sed ut caput hoc de nominibus absolvamus, primum addamus nonnulla de enuntiationibus relativis, — quae idem fere valent quod nomen, — deinde de iis quae nos dicere solemus *apposita.* Enuntiationes autem relativae, aeque, ut intelligitur, ac caeterae sententiae ordinis inferioris (vid §um 44am) esse possunt aut subjecta, aut praedicata; sic. v. c. subjectum in hoc: *qui autem post eum fuerunt... ipsam propter se.... sumendam esse dixerunt* (*Cic. de Fin. III*, 17, 57.), praedicatum in hoce: *praecipue vero fruentur ea, qui tum etiam cupiebant* (*Tusc. I*, 19, 45.). Possunt etiam esse prae-

dicata aut subjecta aliorum nominum, sic v. c. subjectum in hoc: *in eo, quem scripsi, libello* (*de Orat. III*, 40, 189.). Sed etiam hae, ut intelligitur, haud raro ab altero nomine disjungebantur v. c. in hoc: *vovisse... dicitur uvam se deo daturum, quae maxima esset in vinea* (*de Div. I*, 17, 17.); imprimis tamen a demonstrativis, v. c. in hoc: *Aspicite nunc eos atque intuemini, quorum de facultate quaerimus* (*de Orat. III*, 7, 28.); *despiciunt autem eos et contemnunt, in quibus nihil virtutis.... putant* (*de Off. II*, 10, 36.). Quae paene eodem redeunt, ac si diceres: *ii quos nunc adspicere jubemini atque intueri, sunt ii de quorum facultate quaerimus*; aut: *ii quos despiciunt et contemnunt, sunt ii in quibus nihil virtutis putant*; in quibus, ut enuntiationes relativas ostenderem esse praedicata, haud aliter ac in §° 30ª, accommodavi Latina nostrae sententiarum formae vertendo subjecta in sententias relativas, ac pro copula Latina interponendo nostram, verbum substantivum; videas $§_{um}$ 54am. Haud raro tamen a relativo ordiuntur sententiae, quae per se constant, neque hoc tantum, ubi relativa a grammaticis posita esse dicuntur pro demonstrativis, verum etiam ubi nulla eas interpunctione majore a caetera sententia distinguimus, v. c. in hisce: *neuter honestate carere potuit, qua est a nostris laudata maxime* (*Cic. de Fin. V*, 25, 75.); in quibus

§ 64 enuntiatio relativa est parenthesis. Quodautem ad *apposita* illa adtinet, ea a caeteris praedicatis ratione non differre, jam intellexeritis ex §° 57a. Sunt igitur apud Latinos *apposita* fere praedicata, quae praeter alia praedicata subjectis insuper addita, a tota sententia minus desiderentur. Sic v. c. hujus: *Vetus opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus* (*Cic. de Div. I init.*) pars altera inde a verbo *jam* dici potest appositio. Haud aliter *inimicissimi hominis* in illo Ciceroniano (§° 43ª) *cui moerori.... etiam C. Carbonis inimicissimi hominis.... mors fuisset nefaria.*

§ 65. Sed satis de his. Adjungamus nonnulla de divisionibus sententiarum in partes quatuor. Differunt a sententiis, quales citavimus §° 43ª, v. c. haece: *Tiberius/ Gracchus// reg-*

num occupare/ conatus est (*Cic. de Amic.* 12, 40.), et: *Cum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Aedui* (*Caes. B. G. VI*, 12.). In illis enim, ut in illo *Marcum Uticam navibus praemittit* demonstratum est §° 45ª et deinceps §° 47ª *in fine*, judicium prioris partis sententiae subjicitur judicio partis posterioris, ut quod priore universe judicetur, hoc posteriore accuratius definiatur. Sic etiam, — ut pluribus exemplis rem illustrem, — in illo: *cui/ moerori// etiam C. Carbonis/ mors fuisset nefaria,* per *cui moerori* indicatur ei aliquid moerori esse, per caetera, quid hoc sit, explicatur; aut in illo: *Est enim/ in illis// ipsa merces/ auctoramentum servitutis,* ex priore parte colligitur *rem aliquam, quae sit* (sic explicem illud *est,* vid. §um 39am et 59am *init.*), esse (ut pro copula Latina ponam nostram) *in illis,* haec tamen, quae sit atque qualis in illis, explicatur parte posteriore. Aliud exemplum esto illud: *Haec tibi est exidenda lingua*, de quo dixi §° 60ª. Sed in illis, quales sunt: *Tiberius Graechus regnum occupare conatus est*, et: *cum Caesar in Galliam venit, alterius factionis principes erant Aedui*, nemo credet rationem, qua *Gracchus* praedicetur de *Tiberio*, explicari parte altera, *regnum occupare conatus est,* neque rationem, qua *in Galliam venit* de *cum Caesar,* parte altera, *alterius factionis principes erant Aedui.* Dicere posses in genere illo duas partes duabus partibus opponi tanquam παρ'ἀλλήλους, ut prior respondeat priori, posterior posteriori, atque, tanquam simul judicari judicio sententiae subjecti ac judicio sententiae praedicati, — in his contra partes potius tanquam ad perpendiculum partes sequi, et judicari judiciis praedicati separatim a judiciis subjecti. Illa autem partium partibus responsio in iis quoque nostorum illorum proverbiorum, quae ex quatuor partibus constant, apparet. Indicata est in iis rationis quadam similitudine partis primae cum tertia, ac secundae cum quarta. Sic v. c. in illis: *heden rood, morgen dood,— einde goed, alles goed,* etc. etc. Eodem modo indicatur

etiam hic illic in Latinis; sic v. c. in illo: *Filiorum laudibus etiam patres cohonestantantur* (citato §° 24[a]) *patres* simili ratione est ac *filiorum*, et *laudibus* simili ratione ac *cohonestantur* (*honos*); *zoon lof*, *vader eer*. Dicas v. c.: *Laudibus filiorum*, jam aptius sequetur: *cohonestantur etiam patres*. Patet res etiam in illo: *cui [Crasso] moerori etiam C. Carbonis mors fuisset nefaria*; *Crassus' smart*, *Carbo's dood*. Sic de his. Illae autem a quibus veras divisiones in partes quatuor sic distinximus, pro magna parte sunt ex copulationibus nominum cum nominibus, (imprimis copulationes cognominum cum nominibus propriis; sic v. c. illud *Tiberius Gracchus*,) aut sunt copulationes adverbialium, qualis est v. c. illud *mane / Idibus Septembribus* in loco illo Ciceronis citato §° 45[a], aut sunt sententiae ordinis inferioris, quae subjecta sunt, aut sunt alia. Sunt ex iis etiam copulationes eorum quae dixi apposita (§° 64[a]), cum nominibus. Quam tamen Latini divisiones illas diligant, etiam inde apparet, quod saepe eas tanquam de industria efficiunt conjunctioni scil. praeponendo subjectum, imprimis pronomen: *quae cum*, *haec si* etc.

§ 66. Est illa copula linguae Latinae naturalis animi nostri. Quocirca nihil mirum est, quod in linguis quoque recentioribus harum illa Logice eam non plane oppressit. Sed apparet non tantum in illis proverbiis, aut in appositis illis de quibus vidimus §° 57[a]; verum haud raro in iis quoque nonnihil viget, in quibus ipsa illa linguarum recentiorum Logice dominetur. Nam ex tribus partibus, ex quibus fere nostrae sententiae constant, haud raro partes duas conjunctim ita eloquimur, ut aut a caeteris distinctius segregetur subjectum, aut praedicatum; subjectum v. c. in: *de man / is goed*, praedicatum in: *de man is / goed*. In his vero priore parte tanquam interrogatur, posteriore respondetur, atque revera igitur hic subesse quaedam videtur copulae logicae indicatio. Habet enim semper subjectum logicum aliquid interrogationis, praedicatum aliquid responsionis, et est copula logica silentium quoddam inter subjectum

et praedicatum, quod fit, quia dispicimus, quid ei quod per subjectum tanquam interrogatum sit, per praedicatum tanquam respondeamus. Apparet tamen neque in talibus recentiores linguas Latinae plane convenire. Nam sententiae illae linguarum recentiorum copula illa semel tantum dividuntur, sententiae Latinae toties, quoties verba verbis et copulationes copulationibus conjunguntur. Est igitur in illis sententiis recentioribus nulla copularum ordinum distinctio, neque trahunt ex hac copulae communione ullam cum lingua Latina disponendorum vocabulorum similitudinem. Adhibemus hanc copulam imprimis, ubi a communi sententiarum formula discedimus, quamquam etiam in talibus, si convenimus Latinis, convenire tantum videmur fortuito. Discedimus enim ab solita norma non tantum, ut insolentia loci praedicata copulae praeposita urgueamus, — de qua re dixi supra §° 40_a, — verum etiam, ut eas orationis partes pro subjectis proponamus, quae, quemadmodum v. c. adjectiva, per se esse subjecta in linguis nostris non possunt. Sic v. c. dicimus non tantum: *diérbaar zijn de ouders* aut: *getémd is de leeuw*, verum etiam: *dierbaar* (?) *zijn de ouders*, aut: *dierbaar zijn* (?) *de ouders* (quibus verti illud Latinum: *cari sunt parentes*; vid: §um 33am). Res imprimis cognoscitur ex locis, quales sunt: *First appeared/ the ambitious and ostentatious Elector of Brandenburgh.... Then arrived/ the young Elector of Bavaria* etc. (Macaulay). In versibus Germanicis, si quid video, copula haec eodem haud raro loco incidit, quo caesura; sic v. c. in Goethianis his: *Verlassen hab'ich/ Feld und Auen; Entschlafen sind nun/ wilde Triebe.* Sententiae Graecae, haud aliter ac Latinae, in duas semper partes, quae tamen plures minores continere poterant, dividuntur (vid. §um 46am). Videntur tamen hae vix unquam copulam illam admisisse, saltem si fides habenda est Aristoteli, qui loco illo citato §° 20^a etiam haec habet: *Δεῖ δὲ τὴν περίοδον καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι, καὶ μὴ διακόπτεσθαι, ὥσπερ τὰ Σοφοκλέους ἰαμβεῖα.*

Καλυδὼν μὲν ἥδε, γαῖα Πελοπείας χθονός.

Τοὐναντίον γάρ ἐστιν ὑπολαβεῖν τῷ διαιρεῖσθαι, ὥςπερ καὶ ἐπὶ τοῦ εἰρημένου, τὴν Καλυδῶνα εἶναι τῆς Πελοποννήσου. Revera in Latinis ea saepe copula illa logica disjunguntur (*διαιροῦνται*), quae Graeci quam maxime in copulationes vocabulorum grammatice cohaerentium conjungerent; sic v. c. in illo: *reliquos sensus voluptates oblectant dispares*, et in aliis ex iis quae citavimus, satis multis. Quocirca illa Sophoclea haud inepte perhiberi possunt copula dividi eadem. Tacemus enim post *ἥδε* eodem fere illo, ut verbo hoc utar, interrogatorio silentio, quo in illis nostris. Specie aliqua cum his conveniunt ea quae disjunguntur verbi alicujus, quod in antecedentibus exstat, recordatione (*vid.* §um 47am *init.*), quemadmodum v. c. *τὸ μὲν ὑγιαίνειν* et *βοιδίου* et caeteri infinitivi et genitivi in his Lucianeis: *καὶ ἔνεστι πρίασθαι παρ'αὐτῶν τὸ μὲν ὑγιαίνειν, εἰ τύχοι, — βοιδίου, τὸ δὲ πλουτεῖν — βοῶν τεττάρων, τὸ δὲ βασιλεύειν — ἑκατόμβης, τὸ δὲ σῶν ἐπανελθεῖν ἐξ Ἰλίου ἐς Πύλον — ταύρων ἐννέα, καὶ τὸ ἐκ τῆς Αὐλίδος ἐς Ἴλιον διαπλεῦσαι — παρθένου βασιλικῆς* (*περὶ Θυσ.* 527.). Tamen haec, ut apparet, vera ratione ab illis diversa sunt. Sunt praeterea etiam in Graecis haud pauca, in quibus, quemadmodum in illo Macauliano, enumeratio rerum ant personarum, quae est partis posterioris, in parte priore quodammodo praesentitur, sic v. c. in illo Xenophonteo: *Ἦσαν δὲ οἱ μὲν ἀντιτεταγμένοι τῷ Ἀγησιλάῳ Βοιωτοὶ, Ἀθηναῖοι, Ἀργεῖοι.* Sed etiam haec atque talia fortuito tantum cum nostris aut Latinis convenire, apparet ex locis, qualis est hic Lucianeus (*Κατάπλ.* 627.), ubi rogat Clotho mortuos, qui in inferos descenderunt: *καὶ πρῶτοί μοι εἴπατε ὅπως ἀποθανόντες ἥκετε; μᾶλλον δὲ αὐτὴ πρὸς τὰ γεγραμμένα ὑμᾶς ἐπισκέψομαι. πολεμοῦντας ἀποθανεῖν ἔδει χθὲς ἐν Μυσίᾳ τέτταρας ἐπί τοῖς ὀγδοήκοντα καὶ τὸν Ὀξυάρτου υἱὸν μετ' αὐτῶν Γωβάρην,* et deinceps: *Δί ἔρωτα αὐτοὺς ἀπέσφαξαν ἑπτὰ κτλ.* Non enim hoc tanquam pronuntiare voluit Clotho, quot homines singulis illis rationibus mortui essent, sed potius id ipsum enarrare, *ὅπως ἀποθανόντες ἧκον*, quaenam illae

rationes essent. Hoc igitur in Latinis esse debet praedicatum. De Xenophonteo illo jam vidimus §° 47ª.

§ 67. Sed cum etiam hic de discriminibus agatur satis substilibus, intelligitur facillime etiam disjunctiones Latinas, haud aliter ac Graecas, in usus rhetoricos conversos esse. Nam cum haud raro disjuncta nomina ei quod is qui loqueretur haberet in animo, aeque fere responderent ac conjuncta, naturaliter id praeferebatur, quod auribus erat gratius. Auribus Latinis aeque ac Graecis ingratae erant verborum longiores continuationes (*Cic. de Orat. III*, 48.), sed cum sententiae Latinae tot copulis logicis dividerentur, minor metus erat, ne in eas incideretur. Fuit tamen aliud, quod ut observaretur, ipsa exigebat linguae ratio. Nam quod loco illo citato dicit Cicero «aut paria esse debere posteriora superioribus, extrema primis, aut, quod etiam sit melius et jucundius, longiora» hoc ideo, ut videtur, debet, quod praedicatum sua natura,— omnia autem, ut vidimus, posteriora superiorum sunt praedicata, — subjecto debet esse pondere gravius. Jam igitur Latini vocabula ita distribuerunt, ut pars major, aut saltem gravior addiceretur praedicato. Sic v. c. in his: *quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae adspectum esset deformem habiturae atque turpem, eas contexit atque abdidit* (*Cic. de Off. I*, 35, 126.) praedicatum gravius efficitur, quam si diceres pro: *adspectum essent / deformen habiturae atque turpem,* hoc: *adspectum habiturae essent/ deformem atque turpem.* Eodem modo auribus minus placet hoc: *Huic autem // dispar illa ratio orationis / adjuncta est*, quam, si cum Cicerone nomina disjunxeritis: *Huic autem // est illa dispar/ adjuncta ratio orationis* (citavi locum §° 25ª); aut minus placet: *Illa divini hominis vox et oratio / tanquam cycnea fuit*, quam: *Illa // tanquam cycnea fuit / divini hominis vox et oratio* (*Cic. de Orat. III*, 25.). Alia exempla ipse conquiras. Sunt enim innumerabilia.

§ 68. Sed linguae ratio etiam alios peperit usus rhetoricos. Nam cum tenderet oratio Latina semper ad sententiarum fines

(vid. §um 46am), has, ut paulisper in iis tanquam residere posset, naturaliter noluit esse exiliores. Quocirca talem imprimis dilexerunt sententiarum aut colorum concludendorum rationem, ut postquam jam fere finita enuntiatio esset, unum tamen ei aut duo segregata vocabula adderentur, quae ei pro singulari tanquam claustro essent. Hinc igitur intelligimus, quam gratae fuerint auribus Latinis disjunctiones, quales: *voluptates oblectant / dispares*, aut: *mors fuisset / nefaria;* quamquam in plerisque talibus adeo differunt conjuncta a disjunctis, ut vix affirmare auderem imprimis ea disjuncta esse, ut gratum fieret auribus. Non tamen dubito, quin disjunctiones, quales sunt haece: *ad Ptolomaeum se / regem// Alexandriam contulit (Cic. de Fin. V*, 19, 54.*)*, aut: *parum in se / fructus// habet copia dicendi (Auct. ad Heren. I*, 1, 1.*)* mere sint rhetoricae. Sed imprimis huc pertinet disjunctio illa eorum (vid. §um 27am) quae cohaerent aliqua conjunctione. Horum enim vocabulum alterum simul cum conjunctione a socio disjunctum saepissime sententiae, aut coli claustrum est. Sic v. c. illud: *atque turpem* in illo exemplo ex libro *de Off.*(citato §° 67a); et alia in his: *Aspicite nunc eos / atque intuemini // quorum de facultate quaerimus* (*Cic. de Orat. III*, 7, 28.); *Popularibus enim verbis est agendum, / et usitatis, // cum loquamur etc.* (*de Off. II.* 10, 35.); *profluens quiddam habuit Carbo / et canorum* (*de Orat. III*, 7, 28.); nec minus in iis, quae illa §° 27a citata sunt.

§ 69. Animadvertendum etiam hoc est haud raro Latinos, ubi duobus subjectis unum adtribuerent praedicatum, partem hujus conjunxisse cum illorum altero, partem cum altero. Sic v. c. pro: *quod dierum essent pactae indutiae, non noctium* (*essent pactae*) dicit Cicero: *quod dierum essent pactae, non noctium indutiae* (*de Off. I*, 10, 33.), aut pro: *aliquid iisdem de rebus politius a nobis proferri perfectiusque* (*a nobis proferri*), hoc: *aliquid iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri* (*de Orat. I*, 2, 5.) Etiam sic, ut animadverteritis, sententiarum partes ultimae graviores redduntur. Conferas

cum his locum illum Lysiae, quam citavi §° 21a. Sed in Graecis omnes hae disjunctiones, ut vidimus eadem illa §° 21a, in alios usus adhibitae sunt.

§ 70. Ratio praeterea ea, quae graviores fines exigit, etiam hoc effecisse videtur, quod haud raro sententiae aut cola duobus synonymis terminentur aut paene synonymis. Sic illis *contexit et abdidit* et *vox et oratio* in locis Ciceronianis citatis §° 67a; et aliis quibusdam verbis in locis his ex libr. *de Oratore: Multum inter se distant istae facultates, longeque sunt diversae atque sejunctae* (*I*, 49, 215.); *id totum abdico atque ejicio* (*II*, 24. 102); *non ut totum aliquid.... pariat atque procreet, verum ut ea, quae sunt orta jam in nobis et procreata educet atque confirmet* (*II*, 87, 359); qui locus, licet Bakius eum — immerito ut arbitror, — Ciceroni abjudicaverit, tamen est satis Latinus.

§ 71. Pervenimus jam ad disputationis caput, quod quidem, ut capita solent, ipso corpore brevius est, sed tamen singula ejus membra in se quodammodo consummat. Pollicitus enim sum in introitu disputationis dicturum me de orationis forma Plutarchea, atque hanc cum forma Graeca atque Latina comparaturum. De hoc igitur jam agam. Praeponam tamen nonnulla de temporum ratione, quibus ille vixit. Inde enim melius, ut solet, et totus homo, et ejus oratio intelligetur.

Aetas imperatoria a temporibus, quae proxima antecedebant, ratione multum diversa fuit. Post enim Graeciae libertatem amissam, aetate Diadochorum, cum neque amplius homines, si legibus populi obtemperassent, aut mores patrios coluissent, sibi satis placerent, neque tamen quae majora appeterent, aut quibus divinioribus obsequerentur, adhuc animo cognovissent, magna eos ceperat sollicitudo atque anxietas, atque inde aut industrie, quid summum bonum esset, anquirebant, aut plane coeperunt de se ipsis atque rebus humanis desperare. Hinc igitur illi Stoici, hinc

Epicuraei, hinc Sceptici, hinc alii; hinc etiam id, quod philosophia Platonica, quae antea animis divina appetentibus praecipuum adminiculum fuerat, iniquitate temporum vel in Pyrrhonicas argutias delapsa est. Rem publicam, ut facile intelligitur, temporibus illis haud pauci, atque, — quod est veri simillimum, — haud raro optimi quique, deseruerunt; vitam communem parvi fecerunt. Artium Graecarum aut germanam sublimitatem inquinarunt immiscendo Graecis Orientalia, aut ubi Graeca tuiti sunt, tueri tamen non potuerunt, nisi antiqua inconsiderate imitando. Lingua tandem, — quae et ipsa est opus artis, et quidem tale, cujus totus populus sit artifex, — parum tunc colebatur ab ipsis scriptoribus (*); sed transiit ejus cultus, tanquam ex vita, in scholas potius Grammaticorum.

Sic Graeci post Alexandrum Magnum. Constituto tamen imperio Romano res multum mutata est. Nam tunc, cum certus rerum status ubique constitutus esset, eorum firmati sunt animi, quibus si debilitata esset res publica, debilitata esse omnia viderentur, et revera tunc orbi terrarum quies quaedam atque tranquillitas reddita est, quibus et vitae atque opibus major securitas esset, et animi quoque ipsi minus odiis atque discordiis infestarentur. Tunc igitur, ut videtur, haud pauci ad rempublicam reversi sunt; tunc reviruit quodammodo artium cultus; tunc illa philosophia Platonica antiqua resurrexit, et se vel Stoica accommodare coepit vitae communi. Ut tamen ratio horum temporum rite intelligatur, animadvertendum est jam inde ab initio neque Stoicos neque Platonicos plane nova se profiteri sibi visos esse, sed eos potius modo quocunque, — haud raro v. c. allegorice interpretando, — nova antiquis accommodasse. Inde igitur antiquiores Graecorum de rebus summis opiniones

---

(*) Conferas locum ex *Dionys. Halycarn.* satis memorabilem *de Dispos. verb. C, IV*, inde a verbis τοῖς μὲν δὴ ἀρχαίοις κτλ.

populares, — quibus concussis atque debilitatis, simul concuti ac debilitari coeperant ipsae illae inclytae antiquae Graeciae civitates, — hae a philosophia illius aetatis, — Eclecticam eam dicunt — hoc modo immutatae sunt, ut retinuisse tamen semper viderentur, quod haberent vere antiqui. Sensim igitur paulatimque exstiterunt novae opiniones paene populares, quae iis qui eas probassent, novum aliquem rerum statum perinde commendarent, quasi ab iis quae antiquitus fuissent, vera ratione diversus non esset. Sic v. c. quam convenerit imperium illud «omnium gentium» (*) Romanorum philosophiae Eclecticae ei opinioni, qua crederetur omnes totius orbis terrarum homines atque nationes una humanitatis societate conjungi (†), facile perspicitur. Tamen intellexisse illi non videntur, quam hac a vera antiquitate discesserint. Fuit igitur hic Eclecticismus a Christianismo imprimis Paulino, — quocum saepe comparatus est, — nullo nomine, quod sciam, magis diversus, nisi quod hic nova se profiteri et intelligebat et palam pronuntiabat, ipse contra, quin viveret adhuc antiqua Graecia, non dubitabat. Videtur etiam imperium illud Romanum, quoad fieri poterat, tuitum esse antiqua, atque se vel commendare studuisse hominibus moribus pristinis atque religionibus revocandis.

Sed quod omnibus accidit antiquarum rerum, quarum ratio jam interiisset, vindicibus, hoc etiam iis, qui constituerunt imperium Romanum. Cum enim rerum, ut apparet, externam tantum restituere possent speciem, a ruina revocare ipsas eas non potuerunt, et fortasse vel propter id ipsum negligentius eas in pejus ruere siverunt, quod videbantur sibi eas restituisse. Sic igitur, si dominantibus Romanis haud pauci ad rem publicam reversi sunt, — hoc enim est veri similimum, — reversi sunt ad talem, qualis relicta fuerat ab imperio, quod sibi maximarum rerum administra-

---

(*) *Cic. de Orat. I*, 4, 14.
(†) *Cic. de Fin. V C.* 23.

tionem et sumserat, et si consistere vellet, sumere debuerat. Sic artes, licet crebrius cultae, ad meram tamen Graecitatem neque tunc redierunt. Sic cultus linguae ab illis scriptoribus generis sordidioris ad nimis politum rhetorum genus transiit, quorum artibus, etiamsi Platonem fortasse revocasse sibi viderentur aut Demosthenem, prohiberi tamen oratio Graeca non potuit, quominus ab illa elegantissima λέξει κατεστραμμένη ad λέξιν εἰρομένην (vid. locum Aristotelis cit. §º 20ª), — quemadmodum senes ad infantiam redire solent sed ad infantiam vera infantia multo jejuniorem, — reverteretur, et tandem ad insulsam Byzantinorum rationem sententiarum per δέ, τέ et καί conjungendarum perveniret. Religiones etiam, licet strenue eas vindicarint, tamen non intellexerunt depravari, si Graecis aut Latinis admiscerentur Orientalia. Quam tamen hac in re a Judaeis aut Christianis diversi fuerint, jam inde apparet, quod Deos Graecos indignaturos non suspicati sunt, si communicare deberent honores cum peregrinis.

Hujus igitur aetatis perfectissimum documentum fuit Plutarchus. Nam philosophia Platonica, quam praecipue sequebatur, evaserat apud eum et vitae communis morum quaedam magistra, et doctarum simul rationum, quarum ope fore sperabat, ut effugeret et τὸν κρημνὸν τῆς ἀθεότητος, et τὸ ἕλος τῆς δεισιδαιμονίας (*), ministra. Erant ei igitur opiniones quaedam pro captu communi non nimis absconditae, quibus de rebus gravissimis et divinis et humanis certior reddebatur animus et securior. Sic credidit v. c. unum tantum esse Deum totum mundum nutu suo atque arbitrio regentem, et quod tamen tot circumferrentur, hoc ad varietatem nominum referebat; sic etiam caritatis quodam sensu totum genus humanum comprehendendum esse statuit; sic post mortem poenas esse luendas, si quid in vita mali

---

(*) *De Isid. et Osirid. C* 67; *de Superst. in fin. p.* 171 *E. F.*

perfecissemus, sic alia (*). Hic etiam miscere Graecis Aegyptia veritus non est; quemadmodum etiam Clea illa, ad quam scripsit *de virtute mulierum*, et *de Iside et Osiride*, simul τῶν θυιάδων ἐν Δελφοῖς ἀρχηγός fuit, simul τοῖς Ὀσιριακοῖς καθωσιωμένη ἱεροῖς ἀπὸ πατρός καὶ μητρός (†). Vitam communem praeterea, et rempublicam non parvi fecit, qui in sua civitate ἄρχων ἐπώνυμος fuit, et vel ejus gerendae praecepta tradidit. *Μοναρχίαν*, ut probat ejus de hac libellus (p. 826 seq.), caeteris rei publicae formis anteferebat; ab imperatoribus Trajano atque Hadriano publica ei tradita fuisse dicuntur munera. In scribendo tandem imitatus est Platonem, sed, — ut imitari solent ii, qui eorum quae imitentur, rationes non perdidicerint, — in rebus saepe ejus minutissimis insistendo. Sic v. c. quod Plato in *Phaedone* narrantem facit Phaedonem Echecrati, quae cum amicis collocutus sit Socrates, antequam cicutam biberet, aut in *Symposio* narrantem Apollodorum inter convivas, quae a Socrate atque aliis disputata sint de amoribus inter epulas, hoc noster, in libro imprimis *de Genio Socratis*, sic imitatur, ut struat dialogos in dialogis, atque plurimis duorum dialogorum personis animum nobis conturbet. Fuit praeterea etiam oratio ejus Platonica, sed eadem simul Homerica, Hesiodea, Pindarica, Euripidea etc., ut hominis, qui tot scriptorum quorum libros legerat, horum sponte quoque atque paene inscius verbis uteretur. Occultabat tamen sub specie hac alienorum ornamentorum haud ingrata insulsam illam sententiarum aut colorum ad perpendiculum conjungendorum rationem, — per particulas scil., quales sunt τέ, καί, δέ aliae; — quae ratio eorum esse solet, qui ita sunt animo constituti, ut ad recipienda aliena alacriores sint, quam ad propria excogitanda. Sic v. c. jam

---

(*) Conferas ejusdem *libri de Iside et Osirid. caput* 67um, *de Exilio pag.* 600a, de *capienda ex inim. utilit. pag.* 90 *E L:* totum librum *de sera Numin. vindicta*, alia.

(†) *De Isid. et Osiride C.* 35.

animadvertit Parthey (*) in novem versibus ex capit 27° in libro de Iside et Osiride, — a verbis ἡ δὲ τιμωρός usque ad Ὄσιρις ἐκ δαιμόνων, — undecies eum usum esse particula καὶ, aut in quatuor versibus ex capit 36°, — a verbis ἀπορ-ρόην usque ad μεθερμηνεύεται, — sexies. In tali igitur viro, alienis adeo aperto, non mirum fuit, quod etiam hic illic in conversiones Latinas incidit. Parum videtur ipse intellexisse, quantum a vera Graecitate discesserit. Parum igitur etiam operam dare potuit, ut hanc tueretur. Bis aut ter Romae fuit; didicit linguam Latinam, atque magna hujus admiratio ei injecta est. Jam igitur facillime fieri potuit, ut quemadmodum nos haud raro incidimus in Germanismos, qui dicuntur, aut Gallicismos, aut Anglicismos, sic Plutarchus quoque ipse inscius orationem suam accommodarit singulari rationi linguae Latinae. De hoc igitur videndum est

§ 72. Inveniuntur in Plutarchi Vitis nonnulis et in libris ex Moralibus hisce fere: *de Inim. Util.*, *de Amic. Mult.*, *de San. Praec.*, *de Isid. et Osir.*, *Virt. doc. pos.*, *de Virt Mor.*, *de Cohib. Ira*, *de Frater. Am.*, *de Am. Prol.*, *An vit. ad Fel. suff.*, *de Garrul.*, *de Curios.*, *de Vit. Pud.*, *de se ips. citr. inv. laud*, *de Ser Num. vind.*, haud pauci loci, qui relictis singulis vocabulis suo loco facilius Latine verti possunt, quam saltem in sententiis paulo longioribus in Graecis antiquioribus hoc solet. Jam hujus rei exemplum sit locus hic ex libro *de Sanit. praec.* (153, 34; — paginas et versus appono, et deinceps apponam in hac disputatione, Didotianos), cujus loci versibus Graecis Latinos Xylandreos, — paucis tantum, quae Xyl. elegantius quidem, sed tamen liberius vertit, mutatis, — suppono: (1) Ἡ μὲν οὖν
Enim vero

ἀκριβὴς σφόδρα καὶ δι' ὄνυχος λεγομένη
accuratissima (illa) et ad unguem, — ut ajunt — (explorata)

(*) In edit. libri de Iside et Osiride, Einleit. p. XII.

δίαιτα τό τε σῶμα κομιδῆ παρέχεται ψοφοδεὲς καὶ σφα-
victus ratio corpus reddit admodum meticulosum et peri-
λερόν· αὐτῆς δὲ τῆς ψυχῆς τὸ γαῦρον κολούει, πάντα
culis obnoxum ipsiusque animi alacritatem retundit omnibus
πράγματα καὶ πᾶσαν οὐχ ἧττον ἐν ἡδοναῖς καὶ πόνοις διατρι-
de rebus et de omni aeque voluptatum et laborum trac-
βὴν καὶ πρᾶξιν ὑφορωμένης, καὶ πρὸς μηδὲν ἰταμῶς καὶ
tationem suspicantem sinistri aliquid nihilque confidenter
θαῤῥαλέως βαδιζούσης. Sed cum in talibus potuerit aliquid
aggredientem.

forte accidisse, intelligitur certo judicio de re non posse statui vertendo simpliciter Graeca Latine. Oratio si alienis se accommodat, potius, ut apparet, ea quae ipsa propria habet, depravat, quam integra illa referat. Quocirca hoc imprimis explicandum est, quomodo Plutarchus in illis a vero vocabulorum ordine Graeco discesserit.

§ 73. Diligit noster longissimas nominum continuationes, quales sunt (2): οἱ τὰ χρηστὰ τῶν πραγμάτων τοῖς λοιδορουμένοις ὀνόμασι μετὰ παιδιᾶς καλοῦντες (766, 18); (3): τὸ συμπαθὲς αὐτῷ καὶ συμφυές, εὐκίνητον δὲ καὶ κοῦφον καὶ ὁμαλὸν καὶ ὑπήκοον τοῦ δι' εὐτονιάν καὶ συνέχειαν (879, 38). Sed haec, licet minus eleganter Graeca (vid. §um 20am), Graeca tamen sunt, et invenies continuationes tales longiores, licet semper fere his breviores, haud raro in disputationibus philosophicis, v. c. apud Platonem.

§ 74. A Graeca demum ratione disceditur, ubi verborum gravitates non exprimuntur gravitatibus locorum, quibus ponuntur in sententiis, aut ubi ea disjunguntur, quae a Graecis antiquioribus conjuncta fuissent. Sic v. c. si haec (4): μήτε κρᾶσιν ἀγνοεῖν (δεῖ), ἣν ἔχει τὸ σῶμα θερμότητος καὶ ξηρότητος (162, 31), ad normam Graecam exigantur, sententia erit nos potissimum non ignorare debere aliquam κρᾶσιν, et esse hanc κρᾶσιν θερμότητος et ξηρότητος paene obiter tantum commemoratum erit; sed sic tamen et illius κρᾶσιν major gravitas est, quam est secundum sententiam, et horum θερμ. καὶ

ξηροτ', major levitas. Eodem modo per (5): ταύτην μὲν οὐδενὸς ἂν αἰτιασαμένου τὴν εὐφημίαν, εἰ τὰ αὐτὰ πάθη προστιθέμενα μὲν τῷ λογισμῷ τούτοις καλοῦσι τοῖς ὀνόμασι κτλ. (544, 29.), non *hanc* ex iis εὐφημίαις, *quas nemo reprehenderet, si hae affectiones rationi se dedentes his nominibus appellarentur*, alii cuidem ejusdem generis earum *quas nemo reprehenderet, si hae affectiones rationi se dedentes his nominibus appellarentur*, opponitur; qui tamen verborum sensus esset, si ταύτην tantum urgueremus, quantum pronomen, quod a substantivo tot vocabulis segregatum huic antecedit, in Graecis debet (*vid.* §os 19am *et* 25am). Haud aliter hujus (6): καὶ γὰρ ἰατρὸν νοσοῦντες οὐ παρακαλοῦμεν τὸν ἔμπειρον, αἰσχυνόμενοι τὸν συνήθη· καὶ παισὶ διδασκάλους ἀντὶ τῶν χρηστῶν τοὺς παρακαλοῦντας αἱρούμεθα (643, 48) haec esset sententia, si plane ea, ut Graeca debent, acciperemus, ut dixisset Plutarchus nos, si aegrotemus, imprimis non advocare medicum scil. τὸν ἔμπειρον; quod tamen, ut intelligitur, minime noster voluit. Conferas §os 2am, *sequent.*, 22am, 46am, 47am.

§ 75. Quod autem haud raro disjunguntur in talibus ea quae conjuncta esse deberent, hoc jam animadverti poterit, in illo n° 5°; ibi enim verius Graecum esset τὴν εὐφημίαν ταύτην. Haud plane Graecum etiam (7): τὸ δεδεγμένον μόριον αὐτὴν τῆς ψυχῆς (534, 42), quamquam hoc fortasse partim tueri possemus exemplis, quale est v.c. hoce Demosthenicum: τὸν ἐφεστηκότα κίνδυνον τῇ πόλει (*de Cor.* 287.). Sed imprimis hic adtendas disjunctiones adtributorum a substantivis. Has enim linguae Graecae ratio non probat (*vid.* §os 8am *et* 16am). Sic v. c. in hisce (8): Οὐδὲ τὸν ἥλιον ἐκ λωτοῦ νομίζουσι βρέφος ἀνίσχειν νεογιλόν (434, 29), nemo referet νεογιλόν ad verbum; neque in hisce: (9): Οὐ τραχὺ καὶ δυσχείμερον ἐπαίρεται πέλαγος, οὐ ληστῶν ἐνοδίοις διαζώννυσι ἐνέδραις ἐρήμους ὑπωρείας (605, 5) adjectiva τραχὺ καὶ δυσχείμερον ad ἐπαίρεται, aut ληστῶν ἐνοδίοις ad διαζώννυσιν. Sic etiam nemo credet certum quoddam genus praetereundi januas esse eas praeterire ἀλλοτρίας nec igitur in verbis hisce (10): θύραν παριόντες ἀλλοτρίαν

(630, 28), referet ἀλλοτρίαν ad verbum. Exemplum genetivi immerito a substantivo disjuncti est: (11) ὅτι καὶ νόσοις ἔνιοι σώματος εἰς ἀπραγμοσύνην ἐχρήσαντο (103, 41).

§ 76. Sed tamen hoc praecipue demonstrandum est, discessisse in talibus Plutarchum a vera ratione Graeca, quia proprius accesserit Latinae. Quocirca Plutarchea comparanda sunt cum Latinis, et hic illic vel ad tralationes in Latina revertendum est. Quae tamen provincia, quod jam supra indicavi, non sic administranda est, ut tantum universe aliqua proponantur, quae habere aliquid videantur Latini, et paene Latine verti possint, sed ita potius, ut quae propria habeat oratio Latina, his singulis singula respondere demonstrentur Plutarchea. Valet autem hac in re tralatio in Latina, quia quae minus Graeca habet Plutarchus, haec si Latine verteritis ordine verborum servato, evadunt quidem haud raro Latina minus elegantia, aut vel imperfectiora, sed tamen semper fere evadunt Latina, aut saltem paene Latina. Hic igitur jam major exemplorum vis proferenda est.

§ 77. Et primum quidem proponam exempla sententiarum divisarum ratione illa Latina in partes quatuor. De quibus conferas §os 43am, 45am, 47am et 65am. Nam quamquam in sententiis brevioribus haud raro fit fortuita quaedam convenientia Graecorum cum Latinis, tamen in iis quae sunt divisae in partes quatuor nullam usquam inveni, nisi apud Plutarchum. Sic v. c. num 6um intelligetis, si diviseritis: καὶ γὰρ ἰατρὸν / νοσοῦντες // οὐ παρακαλοῦμεν / τὸν ἔμπειρον, αἰσχυνόμενοι τὸν συνήθη· καὶ παισὶ / διδασκάλους // ἀντὶ τῶν χρηστῶν | τοὺς παρακαλοῦντας αἱρούμεθα, — *medicum enim /, si aegrotamus // non advocamus / eum, qui peritus sit....; atque pueris / praeceptores // pro bonis / eos, qui petant, adsciscimus.* Ejusdem generis sunt (12): Διὸ καὶ τῶν ζῴων / τὸ φιλότεκνον // τοῖς μονοτόκοις / ἰσχυρότερον ἐμφύεται (111, 48); (13): Τὸν δὲ φίλον / ἡμεῖς // μόνον μὲν / οὐκ ἀξιοῦμεν εἶναι (112, 1); (14): Ὅπου γὰρ καὶ τὰ ἄψυχα / τὰς μίξεις // πρὸς τὰ ἀνόμοια ποιεῖται / μετὰ βίας ἀναγκαζόμενα (115, 14); (15): δύναται / καὶ ἀρετὴ //

γεγονέναι καὶ μένειν / παντάπασιν ἄϋλον καί ἄκρατον (534, 45); (16): (Νῦν δὲ σωφροσύνη μέν ἐστιν,) οὗ / τὸ παθητικὸν ὥσπερ εὐήνιον θρέμμα καὶ πρᾷον // ὁ λογισμὸς / ἡνιοχεῖ καὶ μεταχειρίζεται (539, 52); (17): (χαλεπωτάτη νόσος), ἐν ᾗ τοῦ νοσοῦντες ἀνομοιότατον αὑτῷ γίγνεται τὸ πρόςωπον (552, 38); (18): καὶ δοκεῖ / τῷ φιλαδέλφῳ τῶν θεῶν // οἰκεῖον εἶναι / τοῦ ἀναθήματος τὸ κοινὸν καὶ ἀδιαίρετον (579, 36); (19): (ἀλλ'ὅτι φύσει λογικὸν ἦν καὶ τεχνικὸν.) ὀργάνων / φύσει // τοιούτων / ἔτυχεν (580, 23); (20): οὐχὶ πολλὰς / τὰ πράγματα // τοῖς ἐπεικῶς ἔχειν δοκοῦσι καὶ πρᾴως, / φέρει προφάσεις ἀντιλογιῶν καὶ διαφορῶν (591, 35); (21): Δύσκολον μὲν / ἀναλαμβάνει θεράπευμα καὶ χαλεπὸν // ἡ φιλοσοφία / τὴν ἀδολεσχίαν (607, 34). In his igitur atque talibus pleraque vocabula, quod jam demonstratum est de illo n° 6°, non tali sunt gravitate, quali propter locum in Graecis esse debent. Sic quatuor illarum sententiarum partium prima plerumque multo minus gravis est, quam, si disposita essent vocabula ordine vere Graeco, deberet; — quemadmodum v. c. in n° illo 21° non haec sententiae ratio est, ut τὸ θεράπευμα, quod suscipiat philosophia, imprimis dicatur esse δύσκολον, — non aliud quoddam, sed δύσκολον. Ultimae contra talium sententiarum partes multo semper sunt graviores, quam esse solent in Graecis tot vocabulorum, aut vocabulorum copulationum vocabula aut copulationes ultimae (vid. §um 47am); sic v. c. in eodem illo n° 21°, si ratione illa, qua Graeca debent, acciperentur, tantum obiter paene moneretur τὸ θεράπευμα, quod susciperetur, esse ἀδολεσχίαν. In n° 17°, qui est sententia Hippocratea, quam suis verbis retulit Plutarchus, apparet, quantae sit gravitatis vocabulum πρόσωπον, ex loco ipsius Hippocratis, ubi legimus haece: σκέπτεσθαι χρὴ .... πρῶτον μὲν τὸ πρόσωπον τοῦ νοσέοντος, εἰ ὁμοῖόν ἐστι τοῖσι τῶν ὑγιαινόντων, μάλιστα δὲ, εἰ αὐτὸ ἑωυτῷ (*Praen. II; Ermerins I*, 128.). Nam non hoc dicit Hippocrates non prodere τὸ πρόςωπον gravissimos morbos, nisi sit ἀνομοιότατον αὑτῷ, — quod dixisset in Plutarcheis, si ratione haec, qua Graeca debent,

accipiantur, — sed hoc, id a quo gravis morbus indicetur, esse imprimis τὸ πρόςωπον, et quidem, si sit ἀνόμοιον αὑτῷ. Sic partes primae et quartae. Pars secunda plerumque minus gravis est, quam debet, pars tertia gravior. Quod apparet v. c. in illo n° 16°. Latina autem illa sunt, quia pars tertia cum quarta, — totius sententiae praedicatum, — continet ea quae imprimis alios docere interest, parte prima et secunda, — totius sententiae subjecto, — ea tanquam universe proponuntur, quae praedicatum illud accuratius definiturum sit (vid. §um 65am). Sic ni 21i praecipuum munus est dicere, quid sit et a quonam suscipi debeat θεράπευμα, quod suscipiatur; aut ni 14i quid sit et qua ratione fiat, id quod ab ἀψύχοις fiat de μίξεσι, aut ni 18i docere de simulacris Castrorum dictis Docanis, de quibus ibi sermo est in antecedentibus, quomodo se habeat aliquid quod videatur (sic explico illud δοκεῖ, vid. §um 39am), — intelligi debet, ut apparet, aliquid quod sit illorum Docanorum, quod ad Docana illa pertineat, — quomodo se habeat aliquid quod videatur ad τὸ φιλάδελφον, et quid hoc sit, quod sic se habeat; scil. ita se habere ad τὸ φιλάδελφον, ut ei sit οἰκεῖον et esse hoc quod ex iis quae Docanorum sint τῷ φιλαδέλφῳ videatur οἰκεῖον, τὸ κοινὸν eorum καὶ ἀδιαίρετον. Intelligitur praeterea illarum sententiarum subjecta ac praedicata, — partes duas priores, ac duas posteriores, — eodem jure dici posse per se absolutas sententias, ac eadem in Latinis; eodem jure v. c. ac: *cui moerori, ipsa merces auctoramentum servitutis, Marcum Uticam,* aliaque. Vid. §os 43am, 44am, 45am. Compares cum his praeter subjecta aut praedicata trium illarum sententiarum, quas accuratius examinavi, ex caeteris illis v. c. illud ὀργάνων φύσει ni 19i, aut illud πολλὰς τὰ πράγματα ni 20i. Post subjectum autem (post partem secundam), aeque ac in Latinis, tanquam novam incipi enuntiationem, omnes sentimus. Quid quod vel illa partium partibus responsio, de qua eadem illa §o 65a dixi, haud alio modo, ac in illis Latinis hic apparet. Nam quemadmodum, si dicimus pro: *Filiorum laudibus, Laudibus filiorum,* sequeretur aptius *cohonestantur etiam patres,*

quam *etiam patres cohonestantur*, sic v. c. si in n° 12° pro τῶν ζωῶν τὸ φιλότεκνον, (quae conjungere in copulationem vere Graecam vetat ipsa loci ratio; accipi debet locus ille haud aliter paene ac si dictum esset ἐκ τῶν ζωῶν κτλ.) aptius etiam sequeretur, si in eadem disponendorum vocabulorum ratione permanere velles, pro τοῖς μονοτόκοις ἰσχυρότερον ἐμφύεται, hoc ἰσχυρότερον ἐμφύεται τοῖς μονοτόκοις. Quod autem Plutarchea illa verti possunt Latine, aut paene possunt, verborum ordine nihil mutato, jam nemo mirabitur

§ 78. De aliis difficilius statuitur, quia facilius fit in iis fortuita illa convenientia Latinorum cum Graecis. Sunt tamen nonnulla, in quibus unum vocabulum in caeterorum fine totius sententiae praecipuum praedicatum est. Etiam haec igitur, ut perspicitur, vera Graeca non sunt. Sic v. c. haec (22): καὶ καθάπερ οἱ γῦπες ἐπὶ τὰς ὀσμὰς τῶν διεφθορότων σωμάτων φέρονται, τῶν δὲ καθαρῶν καὶ ὑγιαινόντων αἴσθησιν οὐκ ἔχουσιν (104, 18), paene ordine verborum perfecte Graeca sunt; nunc tamen non sunt. Nam si imprimis opponere voluisset noster διεφθορότα σώματα σώμασι καθαροῖς καὶ ὑγιαίνουσι, non adeo illud φέρονται illi αἴσθησιν οὐκ ἔχουσι, linguae Graecae ratio exigeret ἐπὶ τὰς τῶν διεφθορότων ὀσμάς; sin contra, verbum illud φέρονται revera verbo illi αἴσθησιν οὐκ ἔχουσι, hoc potius: φέρονται ἐπὶ τὰς ὀσμὰς τῶν διεφθορότων σωμάτων, αἴσθησιν δ'οὐκ ἔχουσι τῶν καθαρῶν καὶ ὑγιαινόντων. Nunc tamen Latino more subjectum videtur opponi subjecto, praedicatum praedicato (vid. §um 50am), ut utrum horum sit gravius dici non possit. Sed hic agitur de re subtilissima. Facilius Latinitas earum sententiarum agnoscitur in quibus illud vocabulum unicum, quod totius sententiae praedicatum est, est nomen. Cum enim in Latinis toties verba sint praedicata, facilius sententiae Graecae, quae in fine habent verbum, videri possunt ratione plane convenire cum Latinis. Exempla Latina habes in §° 43a, sic v. c. hoc: *Est profecto/animi medicina//philosophia.* Sententia vere Graeca in fine habens unicum nomen v. c.

haec est: *δι'ὃν μέγας γέγονε ἀσθενὴς ὤν τὸ κατ'ἀρχὰς Φίλιππος* (*Demosth. Olynth. I*, 12.); in qua nemo credet *Φίλιππος* esse totius sententiae praedicatum eadem ratione, qua vocabula ultima in illis Latinis. Videas praeterea §um 47am. Apud Plutarchum tamen in talibus nomina unica aut breviores nominum copulationes in fine sententiarum praedicata sunt, v. c. in hoce (23): *'Εναντιοῦται* (sic Herscher) *δὲ μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα πρὸς φιλίας κτῆσιν// ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις* (111, 15); *οὐχ ἥκιστα* etc. enim arctius cum verbo conjungenda sunt; praeterea in hoce (24): *συνεπισπασαμένου τοῦ λογισμοῦ καὶ συναναπείσαντος// τὸ παθητικόν* (544, 19), in quo, — quamquam est sententia brevior, — apparet tamen *τὸ παθητικόν* esse praedicatum; aut in hoc (25): *καὶ τοῦτο ἔχει πρῶτον κακὸν ἡ ἀσιγησία,// τὴν ἀνηκοΐαν* (607, 37), quod verti sic potest: *atque hoc habet primum malum ἀσιγησία, quod* (garruli) *non audiunt.* Duo exempla adjungam, in quibus nomina aut breviores nominum copulationes sunt praedicata praedicatorum, haec: (26): *Μενέδημος μὲν ὁ ἐξ 'Ερετρίας// ἀνῄρει τῶν ἀρετῶν / καὶ τὸ πλῆθος καὶ τὰς διαφοράς* (535, 1); (27): *ὥστε πάντων ἀφαιρεθέντες ὑπὸ τοῦ τυράννου καὶ φυγάδες καὶ πένητες, καὶ* (*ὀλίγου δέω λέγειν*) *ἕτεροι τῶν πρότερον γενόμενοι// μόνῳ διέμειναν οἱ αὐτοὶ / τῷ μισεῖν ἀλλήλους* (591, 25). Omnia haec exempla sententiarum sunt divisarum in partes tres (vid. illam §um 43am). Intellexeritis praeterea ex nis 25°, 26° et 27° posse etiam Plutarchea, haud aliter ac Latina, plura per se absoluta judicia continere, etiam praeter illas divisiones in partes tres aut quatuor (vid. §um 45am); aliud hujus rei exemplum sit: (28): *Μᾶλλον δέ, ὥσπερ ἐν ταὐτῷ σώματι μιᾶς κοινωνοῦντα φύσεως καὶ τροφῆς // τὰ ὑγρὰ καὶ ξηρά, καὶ ψυχρὰ καὶ θερμά /, τῇ ὁμονοίᾳ καὶ συμφωνίᾳ / τὴν ἀρίστην καὶ ἡδίστην / κρᾶσιν ἐμποιεῖ καὶ ἁρμονίαν* (580, 37); in quo, haud aliter ac in illo: *mane Idibus Septembribus // et ille et senatus frequens/ vocatu Drusi/ in curiam venit,* praedicatum, praeterquam quod ipsum per se constare posset, plura quoque absoluta judicia in se continet.

§ 80. Animadverteritis in n^is 1°, 4°, 5°, 8°, 9°, 10°, 11°, 12°, 19°, 20°, 21°, 26°, 27° disjungi copula logica nomina quoque, quae casuum necessitudine, — quia eodem casu essent, aut quia alterum esset genetivus, — cohaereant. Hoc tamen, cum plane Latinum sit, pluribus exemplis illustrandum est. En habes adjectiva sejuncta a substantivis (29): *καὶ τοῦτο τῶν πρὸς τὰ θηρία // τέλος ἦν ἀγώνων ἐκείνοις* (103, 12); (*τῶν πρὸς τὰ θηρία* fere idem valet ac adjectivum) (30): *Θρηνεῖ δὲ τὸν ἐν τοῖς ἀριστέροις // γενόμενον μέρεσι, ἐν δὲ τοῖς δεξιοῖς // φθειρόμενον* (444, 39); (31): *διὰ τὸ πάσας ὑπὸ τοῦ λόγου τρεπομένη // μορφὰς δέχεσθαι καὶ ἰδέας* (455, 46); (32): *λόγον ἐκ φιλοσοφίας // μυσταγωγὸν ἀναλαβόντας* (462, 7); (33): *τοὺς μὲν ἀσθενεῖς καὶ ἀκάκους // εἰς ἄκρατον ὑπερείπουσα / τὴν δειδιδαιμονίαν, τοῖς δὲ δριμυτέροις καὶ θρασυτέροις // εἰς ἀθέους ἐκπίπτουσα / καὶ θηριώδεις λογισμούς* (464, 4); (34): (*ἱστοροῦσι*) . . . . // *ἀΐδιον αὐτοῖς ἐγκατασπεῖραι, δείξαντα, δεισιδαιμονίαν, / διαφορᾶς ἀπαύστου πρόφασιν* (464, 27); (35): *πολλῇ / συμπεφυρμένον γῇ καὶ κατακεχωσμένον* (602, 34).

§ 81. In hisce disjuncta sunt substantiva a pronominibus: (36) *ὅσας / τὸ σῶμα // νυττόμενον ὑπὸ τῆς ψυχῆς / ἡδονὰς ἴσχει καὶ ταραττόμενον* (149, 42); (37): *ἡδονὴν δεχομένῃ καὶ πόνον, καὶ ὅσα ταύταις ἐγγενόμενα / ταῖς μεταβολαῖς πάθη, τοὺς μὲν μᾶλλον, τοὺς δὲ ἧττον ἐπιταράττει* (441, 4); (38): *πλὴν ὅσον / ἡ γῆ μέρος / ἀναλαμβάνουσα καὶ δεχομένη, // γίνεται γόνιμος ὑπ' αὐτοῦ* (444, 36) (per anacoluthon, sed tamen satis Latine dicitur: *quantam terra partem, cum suscipiat eam atque recipiat, ipsa fit fertilis*); (39): *Διὸ καὶ παμπάλαιος αὕτη κάτεισιν ἐκ θεολόγων καὶ νομοθετῶν εἴς τε ποιητὰς καὶ φιλοσόφους δόξα ὡς κτλ.* (451, 31); (40): *ἃς δ' ἀπ' αὐτοῦ τὸ αἰσθητὸν καὶ σωματικὸν εἰκόνας ἐκμάττεται, καὶ λόγους, καὶ εἴδη καὶ ὁμοιότητας ἀναλαμβάνει . . . ., οὐκ ἀεὶ διαμένουσι* (456, 8); (41): *Προσκαλεῖται δὲ // καὶ τὸν Πλάτωνος ἀμωσγέπως τὰ πράγματα μῦθον /, ὃν Σωκράτης ἐν συμποσίῳ περὶ τοῦ ἔρωτος γενέσεως διῆλθε* (457, 40); (42): *Ἀλλὰ / ταῦτα μὲν ἴσως // πρὸς τοὺς παντάπασι χαλεποὺς καὶ βασκάνους / ἀνάγκη*

τὰ φάρμακα καὶ τὰ παρηγορήματα μηχανᾶσθαι (656, 50); (43): πηλίκον αἱ περὶ ταῦτα τοῦ θείου διατριβαὶ καὶ μελλήσεις ἄτοπον ἔχουσιν, ὅτι τὴν πίστιν ἡ βραδυτὴς ἀφαιρεῖται τῆς προνοίας (664, 26).

§ 82. Genetivorum a substantivis copula logica disjunctorum exempla sunt: (44) καὶ τῶν νέων ὑγρότης ἐνοῦσα παρέχει τὰς τρίχας μελαίνας (445, 21); (45): ὅτι τοῦ Ὥρου νῦν μὲν ἐπάταξε, νῦν δ'ἐξελὼν κατέπιεν ὁ Τυφὼν τὸν ὀφθαλμόν (456, 37); (46): Ὅπου δ'ἂν ἡ θήλεια τῆς χώρας ἀποτέκῃ (465, 47); (47): καίτοι παραμυθίαν ἡ τέχνη/ τῆς ἀμορφίας// ἔχει/ τὴν εὐμέλειαν (553, 18); (48): ὅτι τὴν πίστιν / ἡ βραδυτὴς // ἀφαιρεῖται / τῆς προνοίας (vid. n^um^ 43um).

§ 83. Adverbia copula logica a verbo disjuncta, haec notavi (49): τοῖς μὲν ἄλλοις ἱκανόν ἐστι τὸ μὴ πάσχειν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν κακῶς (103, 19); (50): ἀμύνοντες ἀεὶ τοῖς οἰκείοις ἕκαστοι, καὶ χαλεπῶς / ἀδικουμένων φέροντες (464, 32).

§ 84. Horum locorum magnam partem sumsi ex libro *de Iside et Osiride*, ut, quam late res vel in uno libro pateret, intelligeretur. Hae igitur disjunctiones Graecae non sunt, quia nomen prius pro loci gravitate minus urguetur; — quod explicavi §° 74^a^ atque hic imprimis apparet in n^is^ 29°, 31°, 33°, 34°, 35°, 39°, 41°, 42°, 43°, 44°, 45°, 47°, 48°, (*vid.* §^os^ 2^am^ et 18^am^). In n° 35° credere posses πολλῇ non esse adversus rationem Graecam a substantivo disjunctum (*vid.* §^um^ 7^am^). Fallereris tamen. Nam potius sententiae summa est, ut dicatur συμπεφύρθαι aliquid γῇ, quam γῆν cui aliquid συμπέφυρται, esse πολλήν; quod tamen dixisset Plutarchus, si a Graeca ratione non discessisset. Aliud propter quod illae non sunt Graecae, est quod posterius contra nomen magis haud raro, quam par est, urgueri debet; quod apparet imprimis in iis in quibus nomen hoc posterius totius sententiae praedicati praedicatum proprium est, — sic in n^is^ 31°, 45°, 47°, 48°, — sed tamen praeterquam in his in aliis quoque satis multis. Praeterea in omnibus fere his nominum disjunctionibus separatim nomina ad verbum referri

non possunt, nisi ipsa simul sententia nonnihil immutetur. In illis vero n^is 8°, 9°, 10°, 11° ne possunt quidem omnino. Cognosci res potest imprimis ex n° 47°. Hujus enim, si eum dividimus pausis Graecis et genetivum referimus ad verbum, sententia evadit satis inepta. Etenim his: *καίτοι — παραμυθίαν — ἡ τέχνη — τῆς ἀμορφίας ἔχει — τὴν εὐμέλειαν*, si convenienter ea rationi Graecae accipimus, dicitur fere hoce: *quod ars cantus suavitatem ex iis quae sint deformitatis habeat, hoc esse solatium.* Nemo tamen eum non dividet pausis Latinis, quemadmodum ipse quoque feci supra, ubi primum eum adtuli; vertere eum paene possumus hisce: *solatium vero ars (ars vero solatium) deformitatis// habet cantus suavitatem.* De disjunctionibus autem Latinis, quibuscum hae comparari possunt egi §^is 25° 26° et 59°. Tu mihi compares v. c. *καὶ γὰρ ἰατρὸν νοσοῦντες οὐ παρακαλοῦμεν τὸν ἔμπειρον* (6) aut: *μόνῳ διέμειναν οἱ αὐτοὶ τῷ μισεῖν ἀλλήλους* (27) cum illo: *sensibus enim ornavit ad res perspiciendas idoneis* (vid. §^um 59), aut etiam genetivus §^i 82^i cum paragraphorum illarum genetivis Latinis. Memorabilis praeterea est n^us 31us. In hoc enim ratio vere Graeca exigit, ut *ἐν τοῖς ἀριστέροις* conjungatur cum *γενόμενον*; quod tamen, cum hoc *γενόμενον* significatione *oriendi* opponi non possit illi *φθειρόμενον*, nisi ab *ἐν τοῖς ἀριστέροις* sejungatur, minime licet. Disjunguntur *ἐν τοῖς ἀριστέροις* et *γενόμενον* copula logica.

§ 85. Plura dicenda sunt de disjunctionibus substantivorum a pronominibus. Hoc enim genus apud Plutarchum satis late patet. Vidimus supra (§° 13^a) Xenophontem, ubi dicat: *Πολλοὶ.... ὧν πρόσθεν ἀπείχοντο κερδῶν, ... τούτων οὐκέτι ἀπέχονται*, non hoc praecipue indicare voluisse esse ea a quibus non amplius abstinerent, *κέρδη*, sed hoc potius ab iis eos jam non abstinere amplius, a quibus abstinerent antea. Si illud voluisset, dixisset potius: *ὧν κερδῶν πρόσθεν ἀπέχοντο* (*vid.* §^um 19^am). Sed disjunctiones illae Plutarcheae Graecis his conjunctionibus sententiae similitudine multo magis conveniunt, quam illis disjunctionibus. Nam neque

ea quae in talibus apud eum substantivum praecedunt, — v. c. ἀπ αὐτοῦ τὸ αἰσθητικόν in n° 40°, — eadem sunt gravitate, qua in illis, neque substantiva eadem levitate. Plane contra ratione conveniunt cum disjunctionibus illis Latinis, de quibus egi §° 60ª, quarumque et alia adtuli exempla, et hoc: *quae autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea saepe universam excitat.* Cum his comparetur nus 30us, qui sic fere verti potest: *quocirca etiam antiqua haec descendit ex theologis et legislatoribus ad poetas et philosophos opinio;* quod quidem non admodum elegans est, sed tamen Latinum. Aut potius comparetur nus 40us, qui sic vertatur: *quas vero ab iis sensilis atque corporea natura imagines exprimit* etc. Numerum 41nm huc retuli, quia articulus in eo paene valet pronomen demonstrativum; rite intelligi locus non potest, nisi ratione eum, qua Latina debeant, accipias: *Advocant quoque eam Platonis quodamodo res ipsae fabulam, quam Socrates etc.* In antecedentibus (capite praecedente) ad *res illas* alium quendam locum Platonis retulerat; quocirca non potest, ut noster Platonem (τὸν Πλάτωνος. . . . μῦθον) alii cuidam philosopho Graeco opposuerit; quod fecisset, si disposuisset vocabula ordine vere Graeco. Sed videtur potius ejusdem Platonis alium locum alii opposuisse.

§ 86. Est in hoc n° 41° enuntiatio relativa praedicatum; quemadmodum in illo loco Latino, quem ex §° 60ª huc transtuli, subjectum est. Sed hae enuntiationes (*vid.* §um 63am), atque caeterae omnes quae sunt ordinis inferioris (*vid.* §um 44am), esse possunt, aut subjecta, aut praedicata, aut subjectorum aut praedicatorum praedicata propria. Alius locus ex Plutarcho, qui rite explicari non potest, nisi sententiam ordinis inferioris quam habet in fine, positam credas praedicative, hic est: (51) ἀγαθοὶ δ'ἄνδρες ὀνομάζονται καὶ λέγονται μόνον, ὡς ἱπποκένταυροι καὶ γίγαντες καὶ κύκλωπες (533, 8), ubi si ratione Graeca vocabulis gravitatem adtribuas secundum locum, atque igitur satis magnam verbis ὀνομάζονται καὶ λέγονται, dicitur hoc fere: *viros bonos tantum appellari*

atque dici, *quemadmodum appellari tantum atque dici sors sit hypocentaurorum*, *gigantum et cyclopum.* Quod tamen neque alius unquam, qui sana mente esset, voluit, neque Plutarchus. Locum plane intellegetis, si sententiam ordinis inferioris, ὡς ἱπποκένταυροι κτλ. copula logica ab antecedentibus disjunxeritis, ut dicatur: *bonos viros appellari* (*nomen habere*) *atque dici* (*commemorari*) *tantum*, *eadem ratione*, *qua commemorentur hippocentauri*, *gigantes*, *cyclopes.* Aliud exemplum praebet n^us^ 5us, quo, ut intellexeritis, (vide quae de loco disputavi §^o^ 74^a^) non hoc dicitur: εὐφημία *haec potissimum non reprehenditur*, *si hae affectiones rationi se dedentes his nominibus appellantur;* sed potius explicatur, quaenam sit illa εὐφημία, quae non reprehendatur, ut fere dicatur eam εὐφημίαν non reprehendi, quae consistat in eo, quod hae affectiones.... his nominibus appellentur. Haud aliter hoc: (52) Τὰς δὲ ἀλεκτορίδας ἐν τοῖς ὄμμασι καθ' ἡμέραν ἔχομεν, ὃν τρόπον τὰ νεοττία περιέπουσι (599, 4) non dicitur: *gallinas nos*, *quomodo pullos suos foveant*, *habere quotidie in oculis*, sed potius: *quod gallinas quotidie facere animadvertimus*, *hoc esse*, — ut sic dicam, — *rationem*, *qua pullos foveant.* Verti possunt illa sic fere: *Gallinas vero ante oculos quotidie habemus*, *quomodo pullos suos foveant.*

§ 87. Sed jam ad disjunctiones pronominum a substantivis revertar. Latius hoc genus apud Plutarchum patere dixi, quia praeter illas nominum continuationes, quas demonstravi esse Graecas (vid. §^um^ 73^am^), aliae quoque nonnullae apud eum inveniuntur, in quibus haud aliter substantiva ab articulo participio disjunguntur, ac in illis disjunctionibus, de quibus egi paragraphis proxime antecedentibus, a pronomine relativo verbo finito. Nam licet participia cum articulo substantivis praeposita, conveniant cum enuntiationibus relativis, cum iis tamen tantum harum conveniunt, quibus certum quoddam genus, quod etiam ii quibuscum loquamur, cognitum habeant, indicatur. Sic v. c. ubi dicimus: αἱ ἄριστα δοκοῦσαι εἶναι φύσεις μάλιστα παιδείας δέονται (*Xen. Mem. IV*, 1, 3.), conceptum animo

habemus rerum quoddam genus ἀρίστων δοκουσῶν εἶναι, scil. φύσεων, ab aliis generibus, quae mente concipere possimus, diversum; sic etiam, ubi dicimus: δοκῶ δέ μοι οὐκ ἀλόγως ἂν καὶ ξυρήσασθαι τὴν κεφαλὴν, ὥςπερ οἱ ἐκ τῶν ναυαγίων ἀποσωθέντες ἐλεύθεροι (*Luc. Herm.* 831.), sermo est de certo genere hominum, — eorum scilicet liberorum, qui ex naufragio servati sunt, — quod omnes cognitum habeamus. Latini, ut intelligitur, nihil habent, quod his plane respondet; tamen cum in Latinis genera definiantur nomen (aut aliquid, quod idem valeat ac nomen) nomini adjungendo, Graeca illa accurate tantum vertuntur hisce: *naturae*, *quae optimae videntur*, — *liberi*, *qui ex naufragio servati sunt* (conferas §um 55am; imprimis, quae ibi disputavi in fine). In illis vero quale illud: *quae autem in multitudine cum contentione habetur oratio*, ubi substantivo ipsa enuntiatio relativa concluditur, aut nullum plane dici potest definiri genus, aut potius ex genere ampliore eorum quae indicentur relativo cum verbo, segregari genus angustius ejus quod indicetur substantivo. Sic ex talibus tantum colligi potest, — atque cognoscimus hoc judicio praesenti,— esse id quod indicetur substantivo simul ex iis quae indicentur relativo cum verbo. Res igitur potius, quae acciderit, enarratur, atque quaenam sit, deinceps substantivo explicatur, quam definiatur aliquod, quale sit, rerum genus; atque distant ab iis haud longe eae a *quod* incipientes enuntiationes, quibus res, quae acciderit, proponitur pro sententiae subjecto vel praedicato. Sic v. c. in loco illo Ciceronis (*de Offic. II*, 14, 48.), — quemadmodum jam vidimus supra (vid. §um 60am), — non plura distinguuntur separata orationis genera, sed dicitur *duplicem* esse *rationem orationis*, quarum *in altera sermo sit*, *in altera contentio*, atque igitur orationem potius unam, nunc ita haberi, ut ei insit sermo, nunc haberi cum contentione. Paene igitur pro: *quae autem* etc. dici potuisset: *ubi autem* etc. Dicere possent Graeci: ὁ λόγος ἐχόμενος, aut si participium urguere vellent: ἐχόμενος ὁ λόγος. In aliis tamen eae tantum enuntia-

tiones Latinis illis respondent, quae incipiunt a conjunctione, v. c. ab εἰ. Sunt praeterea substantiva in talibus, si enuntiationes relativae subjecta sunt, — (quemadmodum v. c. *quae autem ..... habetur oratio*, subjectum est hujus: *ea saepe universam excitat*), ea quae imprimis subjiciuntur, si sunt praedicata, ea quae praecipuum praedicandi munus sustinent. Vide et alibi et eadem illa §° 60ª. Quocirca in iis substantiva multo graviora sunt, quam nomina quae tantarum sententiarum ultima sunt, in Graecis esse possunt. Jam igitur Latinis illis simillimae sunt continuationes nominum, qualis v. c. haec est: (53): *Ἡ γὰρ οὕτω συστέλλουσα τὰ πάθη καὶ συνέχουσα τὸν λογισμὸν εὐλάβεια μελέτην ἐμποιεῖ* (104, 28); in hac enim non sermo est de certa quadam *εὐλαβείᾳ*, genere ab aliis *εὐλαβείαις*, quas mente concipere possis, diversa, sed dicitur potius *ἐμποιεῖν εὐλάβειαν μελέτην*, quia *συστέλλει τὰ πάθη* et *συνέχει τὸν λογισμόν*. Verti Latine illa possent, haud quidem eleganter, sed tamen vere Latine sic fere: *Quae enim sic reprimit animi motus et conservat rationem cautio, studium ingenerat.* Eodem modo, ubi noster dicit: (54): *Ἡ μὲν γὰρ, ἔτι τῶν θεῶν ἐν γαστρὶ τῆς Ῥέας ὄντων, ἐξ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος γενομένη γένεσις Ἀπόλλωνος αἰνίττεται τὸ κτλ.* (456, 21), hoc fere vult: *quod enim cum essent adhuc in utero Rheae ex Iside atque Osiride fiebat γένεσις Ἀπόλλωνος, hoc αἰνίττεται* etc., non distinguit *γένεσιν* hanc ab aliis *γενέσεσι*. In verbis hisce (55): *ἀλλ' ἡ μὲν ἀπροσδεὴς τοῦ ἀλόγου καὶ περὶ τὸν εἰλικρινῆ καὶ ἀπαθῆ νοῦν συνισταμένη σοφία καὶ φρόνησις, αὐτοτελής τις ἐστὶν ἀκρότης τοῦ λόγου καὶ δύναμις .... ἡ δ' ἀναγκαία διὰ τὸ σῶμα, καὶ δεομένη τῆς παθητικῆς ὥσπερ ὀργανικῆς ὑπηρεσίας ἐπὶ τὸ πρακτικὸν, οὐκ οὖσα φθορὰ τοῦ ἀλόγου τῆς ψυχῆς οὐδὲ ἀναίρεσις, ἀλλὰ τάξις καὶ διακόσμησις, ἀκρότης μὲν ἐστι κτλ.* (539, 9) non duo, quae cognita habeamus distinxisse videtur *σοφιῶν καὶ φρονήσεων* genera, sed voluisse potius eandem *σοφίαν καὶ φρόνησιν* nunc aliam se praebere, nunc aliam. Locus sic paene verti potest: *quae vero non indigens est τοῦ ἀλόγου et in sincera et ἀπαθεῖ mente consistit*

σοφία καὶ φρόνησις etc. et inde a verbis ἡ δ' ἀναγκαία sic: *quae contra necessaria est propter corpus et indiget appetituum, tanquam instrumentorum, ministerio cum non sit* etc., aut hoc etiam sic: *quae contra necessaria propter corpus et indigens appetituum, tanquam instrumentorum, ministerio, non est* φθορὰ τοῦ ἀλόγου τῆς ψυχῆς, ... *haec* ἀκρότης *quidem est* etc. Plura exempla sunt: (56): Αὐτὴ γὰρ ἡ προςδεχομένη καὶ ζητοῦσα φιλίαν καὶ ὁμιλίαν χρεία, διδάσκει κτλ. (581, 9); (57): αἱ μὴ τυχοῦσαι παιδαγωγίας, ὥσπερ ἐλέγομεν ὀρθῆς μηδ' ἀσκήσεως αἰσθήσεις...., εἰς ἃ μὴ δεῖ καταβάλλουσι τὴν διάνοιαν (631, 5); (58): τίνα.... ἤνεγκε παραμυθίαν ἡ χρόνοις ὕστερον πολλοῖς ἁψαμένη νόσος καὶ κατανεμηθεῖσα τοῦ σώματος (664, 4); (59): καθάπερ γὰρ ἵππον ἡ παραχρῆμα τὸ πταῖσμα καὶ τὴν ἁμαρτίαν διώκουσα πληγὴ καὶ νύξις ἐπανορθοῖ κτλ..... οὕτως ἡ καθ' ἕκαστον ὧν πταίει καὶ προςπίπτει ῥαπιζομένη καὶ ἀνακρουομένη τῷ κολάζεσθαι κακία μόλις ἂν γένοιτο (664, 34 *seq.*). In his igitur atque talibus distincta sunt genera. Loci illius Lucianei, si similiter eum acciperes ac hos Plutarcheos, haec fere sententia esset: *quemadmodum, si qui ex naufragio servati sunt liberi;* quod tamen Lucianus, ut intelligitur, minime voluit.

§ 88. Intelligitur in talibus orationem Plutarcheam, haud aliter ac Latinam, versus fines semper sententiarum aut colorum properare. Jam igitur nemo mirabitur, quod Plutarchus quoque illas fines vocabulo ab alio quocum *conjunctione* cohaereret, separato praemunivit. In quas vocabulorum disjunctiones eo fortasse facilius noster incidit, quod in Graecis etiam ea quae *conjunctione* cohaerent, saepissime disjunguntur. Sunt tamen disjunctiones Graecae a Latinis satis diversae. Nam non tantum in alium usum sunt adhibitae, scilicet ut incommodas verborum continuationes rumperent, verum Graecis haec quoque lex erat, ut disjungerent tantum ea, de quibus simul idem separatis perhiberetur, ut quod de priore perhibitum esset, hoc minus de industria ac paene obiter et tanquam in parenthesi perhiberetur etiam de poste-

riore, atque paene duae essent in unam contortae sententiae; sic v. c. *οἱ δικαίως φιλομαθεῖς κοσμίοι τ' εἰσὶ καὶ ἀνδρεῖοι* (vid. §um 21am) dictum est pro hoc: *κοσμίοι τ' εἰσὶ καὶ ἀδρεῖοι εἰσίν*. Ubi vero ea sententia erat, ut hoc ipsum indicaretur perhiberi aliquid de iis conjunctis, et tanquam eorum fieret quaedam enumeratio, non disjungebant. Latini contra id in fine semper ponebant, quod a sententia haud minus ac alterum desideraretur, ad quod igitur oratio, quia semper suam perfectionem quaereret, properaret, quodque cum altero adeo arcte cohaereret, ut essent haud raro duo synonyma unam rem conjunctione sua exprimentia, atque igitur sola per se eam exprimentia tantum imperfecte. Sed de his jam disputavimus supra §is 21a, 27a, 68a. Exempla disjunctionum Latinarum ex Plutarcho habes in nis 16°, 20°, 21°, 24°, 28°, 31°, 36°. Alia sunto: (60) *δεδιέναι, μή, τῶν θηριῶν ἐπιλιπόντων τῷ ἀνθρώπῳ// θηριώδης ὁ βίος αὐτοῦ γένηται/ καὶ ἀνήμερος* (103, 17); (61): *τῆς ἀρετῆς ἀφειδεῖν οὐ προσῆκον, ἄλλοτε ἄλλοις// συνδέοντας αὐτὴν/ καὶ συμπλέκοντας* (115, 8); (62): *ὡς ἐπιστασίᾳ τινὶ χρώμενον/ καὶ ἀρχῇ// μετέχειν λέγεται κτλ.* (534, 44); (63): *Ἡ δὲ (γλῶσσα) τῶν θυμουμένων ....// ἔχθρας ἀνηκέστου δημιουργὸν ὕβριν ἐκφέρει,/ καὶ δυσμενείας ὑποῦλον κατήγορον* (553, 45); (64): *οὐδὲ καταπαύειν// τὸ φιλόνεικον δύνανται καὶ φιλότιμον* (591, 18); (65): *οὐδ' (ὑπομένουσι)// ἀνακλάσαι τὸν λογισμόν, ὡς φῶς, ἐφ' ἑαυτοὺς/ καὶ περιαγαγεῖν* (624, 50); (66): *λανθάνουσι πολλοὺς// εἰς μεγαλαυχίαν ὑπὸ χαρᾶς ἐκφέρουσαι καὶ κόμπον* (661, 17). Synonyma disjuncta habes in nis 61°, 62°, 64°, 65°, 66°, et in nonnullis etiam ex iis quae supra a me allata, huc quoque pertinent (numerum volo illum 16um caeterosque). Sed etiam in no 60° *ὁ βίος* non dicitur esse *θηριώδης*, idemque in parenthesi paene esse simul *ἀνήμερος*, verum hic quoque verbis duobus vitae ejus ratio indicatur una eademque; nec in no 63o perhibetur praecipue *ἔχθραν ἀνήκεστον* esse, cujus *ἡ γλῶσσα τὴν ὕβριν δημιοῦργον efferat*, minus industrie *efferre τὴν γλῶσσαν τὴν ὕβριν δυσμενείας ὑποῦλον κατήγορον*, sed utrumque eadem

industria, haud minus eam hanc *efferre* δημιοῦργον ac *efferre* eam hanc κατήγορον.

§ 89. Quid quod etiam apud Plutarchum hic illic praedicatum ita in duas partes dividitur, ut alter i duorum subjectorum adjungatur altera, altera alteri (vid. §um 69am). Quorum haec notavi (67): ἅμα τὸ ἡδὺ τῷ λόγῳ/ καὶ τὸ ἀναγκαῖον διώκοντες (146, 34); (68): ἣν παισί τε πρὸς γονεῖς ἡ φύσις/ ἀδελφοῖς τε πρὸς ἀδελφοὺς πεποίηκε (581, 19); (69): φιλοτιμίας ἕνεκα γίγνεσθαι/ καὶ δόξης ἀκαίρου φαινόμενος (653, 11).

§ 90. Duobus synonymis sententiae aut cola terminantur (vid. §um 70am) in nis illis 18o, 43o, 59o atque in hisce: (70): ἑνὸς λόγου .... ἕτεραι παρ' ἑτέροις κατὰ νόμους γεγόνασι τιμαὶ καὶ προσηγορίαι (461, 50); (71): οὐ τοὺς ἑαυτῶν παῖδας, ἀλλὰ τοὺς τῶν ἀδελφῶν ἐγκαλίζονται καὶ τιμῶσιν (596, 46.); (72): ἡ δὲ συνδιαστρέφουσα τὴν ψυχὴν παράβλεψις αὕτη καὶ παρατόξευσις/ αἰσχρά (630, 38); (est ex iis de quibus egi §o 87a).

§ 91. Subjecta ex antedentibus praedicatis suscepta (*vid.* §um 51am) habes in hisce(74): ὡς ἀνυστόν ἐστι φωρῶν τὰ πραττόμενα καὶ τὰ βουλευόμενα διορύττων καὶ διερευνώμενος (104, 10); (74): εὐμενῆ καὶ γοναῖς ζώων καὶ φυτῶν εἶναι βλαστήσεσι (449 30), quae fortasse minus Graeca.

§ 92. Sed satis de his. Fortasse aliquis miratus erit, quod disponendorum hanc vocabulorum rationem, quam dixi Plutarcheam, tamen animadverti tantum credidi in libris ejus satis paucis, aut saltem in caeteris nondum adhuc a me animadversam esse confessus sum. Is tamen huius imprimis rei rationem habeat, quod ab ipso Plutarcho comperimus didicisse se litteras Latinas aetate demum jam satis provecta (*), Inde enim plane intelligitur fieri vix potuisse, ut in libris, quot ejus habeamus, omnibus orationis formam accommodarit normae Latinae. Praeterea etiam hoc facile perspicitur accuratiorem hanc Plutarchei stili cognitionem prodesse

*) Vid. *Vita Demosth. c. II.*

nonnihil scriptoris rectae interpretationi, et hic illic fortasse vel librorum ejus textus manuscripti emendationi; quod, ut opinor, ipsi in nonnullis illorum exemplorum, quae supra explicavi, animadverteritis, ego tamen singulari hic ratione demonstrem corrigendis nonnullis virorum doctorum erroribus, in quos non incidissent, nisi melius scripsise Graece Plutarchum credidissent, quam in libris illis soleat. Sic v. c. in hisce: δι' ἀρετὴν ὑπερφέρουσαν ἢ δύναμιν ἀξίωμα τῇ δόξῃ θεότητος ἐπιγραψαμένων (459, 42) Didotiana habet ἀξίωμα ἢ δόξαν, Madvigius legit ἀξιώματι δόξαν (*Advers. Crit. I* 632.), quia, ut opinor, dicere voluisse crediderit Plutarchum hoce: *qui dignitati opinionem divinitatis addiderunt*, et illud ἀξίωμα τῇ δόξῃ θεότητος, — in quo a nomine (ἀξίωμα) sejunctum sit *adtributum* (θεότητος), — plane nihili esse putaverit. Hoc tamen, sejungere a *substantivis adtributa* et licet, ut vidimus, in Latinis, et apud Plutarchum (*vid.* §os 75am et 82am). Sententia autem illa, quae esse credit Plutarcheorum illorum Madvigius, eadem fere evadit, si nihilo mutato, accipias Graeca Plutarchi ratione, qua debent Latina; sic enim illa fere verti possunt hisce: *propter virtutem exellentem aut potentiam dignitatem gloriae* (dat.) *divinitatis adscribentibus.* Alio loco in verbis hisce: αἰνίττονται τὸ παντελὲς τῆς γῆς ἄγονον καὶ ἄκαρπον ὑπὸ στερῥότητος (448, 4) Wytt. legit τὸ ἁλιτενὲς κτλ., quod recepit Didotiana. Offendisse videtur viros, quod dictum esse visum sit id *quod propter duritiem terra haberet sterile atque infrugiferum*, *hoc homines illos totum* αἰνίττεσθαι; quae saltem illorum sententia esse debet, si vocabula disposita esse credantur ordine vere Graeco. Wyttenbachii autem ἁλιτενὲς facillime alicui placere posset, quia Nepthys, — de qua dicuntur illud αἰνίττεσθαι, — paucis ante dicitur: τῆς γῆς τὰ ἔσχατα καὶ παρόρια καὶ ψαύοντα τῆς θαλάττης. Monet tamen jam ipse nos Wyttenbachius esse in Aegypto τὰ ψαύοντα τῆς θαλάττης palustria, nec aliquem arbitror intellecturum, cur ea dicat «ob eam causam, quod mare ad ipsa allidatur, dici posse στερρά».

Praeterea non sunt ea plane ἄκαρπα; nam ὅταν ὑπερβαλὼν καὶ πλεόνασας ὁ Νεῖλος ἐπέκεινα πλησιάσῃ τοῖς ἐσχατεύουσι, ferunt fruges (vide nostrum paucis ante). Neque etiam eo quod esset ἐκ τῶν ψαυόντων τῆς θαλάττης, referenda illius nostri ἀγόνου καὶ ἀκάρπου sterilitas est. Nam postquam commemoravit noster opinionem eorum qui crederent Nephthyn esse Aegypti partem mari adjacentem, aliam proponit his verbis: ἐν μέντοι ταῖς διαδόχαῖς τῶν βασιλέων ἀναγράφουσι τὴν Νέφθυν Τυφῶνι γημαμένην πρώτην γενέσθαι στεῖραν. Jam igitur hoc, — scil. τῷ τὴν Νέφθυν Τυφῶνι γημαμένην στεῖραν γένεσθαι, — αἰνίττονται, — quo jam ad locum nostrum revertimur, — τὸ παντελὲς τῆς γῆς ἄγονον καὶ ἄκαρπον ὑπὸ στερῥότητος, *perfectam terrae sterilitatem propter duritiem*, — *quod perfecte terra sterilis sit propter duritiem.* Aliae sterilitates imperfectiores sunt, v. c. illa, quae est propter τὸ ἁλμυρόν; perfecta ea, quando Typhon, qui est πᾶν τὸ αὐχμηρὸν (vid. c. 33 ejusdem illius libri *de Iside et Osiride*, unde locum noster sumsi, et c. 39), στερραν reddit terram. Sed vocabula sic esse disposita ordine Latino, jam ex versione illa intellexeritis. Ὑπὸ στερῥότητος praecipuum praedicatum est, ideoque gravius, quam plurimorum nominum continuatorum ultimum in Graecis esse potest; τῆς γῆς contra minore gravitate est, quam in Graecis esse debet; continuationum talium Latinarum indicavi rationem §° 56ᵃ. Alio loco (469, 12) sustulit Wyttenbachius disjunctionem Latinam, ideoque Plutarcheam, pro: (Ἄνευ δὲ τούτων), ῥητίνη μέν ἐστι ἔργον ἡλιου καὶ σμύρνα (πρὸς τὴν εἴλην τῶν φυτῶν ἐκδακρυόντων. Τῶν δὲ τὸ Κῦφι συντιθέντων ἔστιν ἃ νυκτὶ χαίρει μᾶλλον), hoc legens: (Ἄνευ δὲ τούτων, τῶν τὸ Κῦφι συντιθέντων,) Ῥητίνη μὲν καὶ Σμύρνα ἐστὶν ἔργον ἡλίου .... (ἔστι δ' ἃ νυκτὶ χαίρει μᾶλλον). Loco hoce ex libro *de Ser. Num. Vind.*: οὕτως ἡ καθ' ἕκαστον, ὧν πταίει καὶ προςπίπτει, ῥαπιζομένη καὶ ἀνακρουομένη κακία, μόλις ἂν γένοιτο σύννους καὶ ταπεινὴ καὶ κατάφοβος πρὸς τὸν θεόν (664, 40, est nᵘˢ 59ᵘˢ), pro μόλις legit Wytt. μάλιστα. Haud inepte. Nam si verba Graeca ordine vere Graeco

disposita credas, haec fere sententia est: *malitia, si continuo vapulat, aegre tantum (difficulter tantum) ad mentem redit.* Jam, haec si vera esset, omnibus suaderem malitiae correctoribus, ut eam non verberarent continuo, nec quod Wyttenbachio locus corruptus esse visus est, miramur. Optime tamen locus explicari potest, si *μόλις ἂν γένοιτο* copula logica a sequentibus disjungamus. Sic enim et illi *μόλις* omnis adimitur insignior gravitas, et haec fere sententia est: *sic ea, quae continuo vapulat malitia// tandem fiet (cum difficultate quadam fiet)/ (et) compos mentis, et humilis, et venerans Deum;* quae nihil habet, ut opinor, quod nos torqueat.

Haec hactenus. Ut plenius de re statuerem, plures virorum doctorum de locis Plutarcheis opiniones examinandae essent. Nunc tamen de his egisse sufficiat. Eodem modo etiam pervellem omnes quam accuratissime retractare libros Plutarcheos, ut de singulis his, utrum Latinismos continerent, an non continerent, statuerem. Etiam ad hoc tamen in praesentia otium non est. Adjungam tantum hic duo commentariolos, in libros *de Iside et Osiride* et *de Genio Socratis*, in quibus egi de locis aliquot, quos posse mihi viderer, aut rectius ipse, quam caeteri, interpretari, aut si qui corrupti essent, emendare; caeterorum, etiamsi interpretis manu aut emendatoris cum maxime egerent, aut ab aliis, — a Wyttenbachio, Madvigio, Cobeto, Herwerdeno, aliis, — multo melius, quam ipse possem, explicati aut emendati essent, nullam habui rationem. Licet enim satis mihi placere soleam, persuaseram tamen mihi, virorum illorum gloriae, nisi peculiaria afferre possem argumenta, laudationibus meis nihil accedere, vituperationibus nihil detrahi.

ΠΕΡΙ 'ΙΣΙΔΟΣ ΚΑΙ 'ΟΣΙΡΙΔΟΣ.

Pag. 351 C. *ὡς οὐθὲν ἀνθρωπῷ λαβεῖν μεῖζον, οὐ χαρίσασθαι θεῷ σεμνότερον ἀληθείας.* Quidni *οὐδὲ χαρίσασθαι*?

P. 351 D. *Οἶμαι δὲ καὶ τῆς αἰωνίου ζωῆς, ἣν ὁ θεὸς εἴληχεν εὔδαιμον εἶναι τὸ τῇ γνώσει μὴ προαπολιπεῖν τὰ γινόμενα· τοῦ δὲ γινώσκειν τὰ ὄντα κτλ.* Wyttembachius conjecit *γιγωσκόμενα*, vertens *recognoscenda*. Immerito. Ita enim desideraretur *γνωστά*.

Sed quidni retineamus vulgatum? Videntur Wyttenbachio ii qui «*ἐν τῷ αἰῶνι* sunt», vivere tantum «in cognitione» «*τῶν ὄντων*», et eorum quae «fiant, mutentur et intereant» nullam habere rationem; quasi igitur dii Epicureorum essent, qui res humanas nihil plane curarent. Sed, si quid video, *τὰ ὄντα* non eadem sunt, ac *τὸ ὄν* vel *τὸ ὄντως ὄν*, et hoc illud est, quod *τοῖς γιγνομένοις*, — *iis, quae fiant, mutentur et intereant*, — oppositum sit. Jam igitur dicit Plutarchus vitam aeternam, licet aeterna sit, tamen non negligere *τὰ γινόμενα*, ea quae sint vitae terrestris. Verbum *προαπολείπειν* de eorum remissione dicitur, quae antea egeramus diligentius; sic v. c. p. 74 E *διὸ καὶ τοῦτο δεῖ παραφυλάττειν... καὶ μὴ προαπολείπειν.*

P. 351 F. *ὃν ἡ θεὸς συνάγει καὶ συντίθησι καὶ παραδίδωσι τοῖς τελουμένοις θειώσεως, σώφρονι μὲν ἐνδελεχῶς διαίτῃ, καὶ βρωμάτων πολλῶν καὶ ἀφροδισίων ἀποχαῖς κολουούσαις τὸ ἀκόλαστον καὶ φιλήδονον, ἀθρύπτους δὲ καὶ στερρὰς ἐν ἱεροῖς λατρείας ἐθιζούσαις ὑπομένειν.* Pro *θειώσεως* Wytt. habet *θείως ὁσίως τε* vel *'Ισιακοῖς*, Reiskius *διὰ θειώσεως*. Fortasse praestat *ἑαυτῇ ὁσίως*.

Κολουούσαις receptum est ex Veneto, *ἐθιζούσαις* ex conjectura Wyttenbachii. Sic tamen *δέ* illud (*ἀθρύπτους δέ*) suo *μέν* (*σώφρονι μέν*) non respondet. Praestat inventum Madvigii *κουλούουσα. . . . . ἐθίζουσα*, *Advers. Crit. I p.* 631. Etiam hoc tamen haud satis placet. Vix enim putanda est Dea *λόγον* tradidisse *κολούουσα καὶ ἐθίζουσα* i. e. dum traderet *κολούειν* et *ἐθίζειν*. Legendum igitur videtur *κολουούσῃ* et *ἐθίζούσῃ*, hoc mutato ex vulgato *ἐθιζούσης*, et ut huic conveniret mutato etiam dativo plurali *κολουούσαις* in singularem, quemadmodum contra Wytt. mutaverat *ἐθιζούσης* in *ἐθιζούσαις*, ut conveniret illi *κολουούσαις*. Explicatur loco nostro, quomodo fiat *τὸ ὁσίως τελεῖσθαι*, scilicet *διαίτῃ σώφρονι μέν καὶ κολουούσῃ τὸ ἀκόλαστον, ἐθίζουσῃ δέ ἐν ἱεροῖς λατρείας ὑπομένειν*.

P. 352 B. *τοῖς ἀληθῶς καὶ δικαίως ἱεραφόροις καὶ ἱεροστόλοις προσαγορευομένοις· οὗτοι δέ εἰσιν οἱ τὸν ἱερὸν λόγον περὶ θεῶν πάσης καθαρεύοντα δεισιδαιμονίας καὶ περιεργίας ἐν τῇ ψυχῇ φέροντες, ὥςπερ ἐν κίστῃ, καὶ περιστέλλοντες· τὰ μέν, μέλανα καὶ σκιώδη, τὰ δέ, φανερὰ καὶ λαμπρὰ τῆς περὶ θεῶν ὑποδηλοῦντα οἰήσεως, οἷα καὶ περὶ τὴν ἐσθῆτα τὴν ἱερὰν ἀποφαίνεται. Διὸ καὶ τὸ κοσμεῖσθαι τούτοις τοὺς ἀποθανόντας Ἰσιακοὺς κτλ.* Pro *οἰήσεως* Wytt. *νοήσεως*.

In caeteris Meziriacus aliique plures mutarunt *ὑποδηλοῦντα* in *ὑποδηλοῦντες*. Wytt. illud tuetur, sed refert ad *λόγον*. Locum sic vertit: *fugiuntque atra et umbrosa, manifesta autem et splendidam de deo sententiam monstrantia amplectuntur.*

Neutrum placet. Nam praeterquam quod oratio sic vel pro Plutarchi consuetudine contortior esset, non continere credebatur doctrina de diis partim *σκιώδη*, partim *φανερά*, ut *ὁ ἱερὸς λόγος* utrorumque aliquid *ὑποδηλοίη*. Quod autem ad *τὴν ἐσθῆτα τὴν ἱεράν* adtinet, erant *αἱ στολαί Ἴσιδος ποικίλαι ταῖς βαφαῖς ἡ δ' Ὀσίριδος* non habebat *σκιὰν* vel *ποικιλμόν*, sed *ἓν ἁπλοῦν τὸ φωτοειδές* (vid. c. 78), atque igitur vix haec dici potest *ποικιλάς* suas *βαφάς* vel suum *φωτοειδές ὑποδηλοῦν*, *efficere ut subluceant.* Praetea, quomodo

versio illa Wyttenbachiana Graecis respondeat, non perspicio, atque parum intelligo illa verba inde ab *οἷα καὶ*. Noster enim, si dicere voluisset de veste sacra aliquid *perhiberi*, *dici solere*, non usus foret verbo *ἀποφαίνειν*, cujus est significatio *palam monstrare*. Sed jam vix dubito, quin legendum sit pro *ἀποφαίνονται ἀποφαίνοντες*, ut mutata quoque interpunctione sic locus rescribendus sit: ... *κίστῃ· καὶ περιστέλλοντες τὰ μὲν μέλανα καὶ σκιώδη, τὰ δὲ φανερὰ καὶ λαμπρὰ τῆς περὶ θεῶν ὑποδηλοῦντα οἰήσεως* (?), *οἷα καὶ περὶ τὴν ἐσθῆτα τὴν ἱεράν, ἀποφαίνοντες*, *et operientes ea quae sunt atra et umbrosa*, *ea vero*, *quae manifesta et spendida cum sint*, *ex parte monstrent doctrinam de deis* (sic vertam accuratius, quam elegantius illum genetivum *οἰήσεως*), *quemadmodum etiam in vestitu sacro*, *palam ostendentes*. Significatio haec praepositionis *περί*, qua fere valet *quod adtinet ad*, apud nostrum est satis frequens. Conferas v. c. haece: *σολοικίζειν περὶ τὴν ἀκρόασιν* (*p.* 45 *E*); *οὕτως ἐπὶ τῶν λόγων ἐστί τις εὐρυθμία καὶ περὶ τὸν λέγοντα καὶ περὶ τὸν ἀκροώμενον* (*loco eodem*); *περὶ τὴν παῤῥησίαν φιλοτεχνεῖν* (*p.* 74 *D*). Quid quod haec praepositio cum accusativo nonnunquam vel pro genetivo est, v. c. in hisce: *ἡ περὶ μὲν ψάλμους καὶ φόρμιγγας ἁρμονία* (*p.* 96 *E*); *ἡ περὶ σὲ διάθεσις* (*p.* 102 *B*); *τῶν περὶ τὴν σελήνην μεταβολῶν* (libro nostro p. 376 F).

P. 354 F. *ἐοικέναι τοῖς ἐπὶ τῶν ἱερῶν ἱδρυμένοις, καὶ δρωμένοις νὴ Δία καὶ γραφομένοις*. Delet Reiskius *καὶ δρωμένοις*. Recte, si vertas *ἐπὶ τῶν ἱερῶν* per *in templis*. In templi enim muris *figi* aliqua poterant, aut *scribi*; *agi* tamen nihil omnino. Sed valet fere illud *ἐπὶ τῶν ἱερῶν* hoc: *secundum instituta sacra*, *quod adtinet ad sacra*, *in sacris*. Sic tamen non tantum *ἱδρῦσθαι* aliqua potuerunt, v. c. templa, vel scribi aliqua, v. c. *ἱερογλυφικά*, sed etiam agi, v. c. caeremoniae. Jam igitur verba illa retinenda.

P. 355 A *Τὸν δὲ οὐρανὸν, ὡς ἀγήρω διὰ ἀϊδιότητα καρδίᾳ θυμὸν ἐσχάρας ὑποκειμένης*.

Refingunt haec ad Horapollinis (Hierogl. I 22) verba:

Αἴγυπτον δὲ γράφοντες, θυμιατήριον καιόμενον ζωγράφουσι καὶ ἐπάνω καρδίαν, legendo *θυμιατηρίῳ ἐπικειμένῃ*. Lenius tamen mutatur *θύμον* in *θύμου*, quo nostra ad Horapollinis illa vel melius accommodantur. Nam *καρδία*, quae est *ἐπάνω τοῦ θυμιατηρίου*, minus recte ei dicitur *ἐπικεῖσθαι*. Caeterum optime de loco meritus est Xylander, qui arcessivit huc verba haec ex Apuleji Herm. Trism.: *An ignoras, o Asclepi, quod Aegyptus imago sit coeli?* Quibus adhibitis nostra plane explicari possunt. Imago coeli est Aegyptus, signum hieroglyphicum Aegypti est cor supra aram. Potuit igitur signum hoc etiam coeli esse. Parthey in editione sua ante *καρδίᾳ* indicavit lacunam, qua mentionem interiisse putat et signi alicuius hieroglyphici, quo indicatum esset coelum, et terrae Aegyptiacae, ut verbis quae exstant dicatur, esse hujus terrae signum hieroglyphicum cor supra aram. Sed jam concesserit ipse vir egregius se errasse.

P. 356 A. *Διὸ καὶ τὴν τρίτην τῶν ἐπαγομένων, ἀποφράδα νομίζοντες οἱ βασιλεῖς, οὐκ ἐχρημάτιζον, οὐδὲ ἐθεράπευον αὐτοὺς, μέχρι νυκτός.*

Διό, quia scilicet tertio die natus erat Typhon. An igitur putemus solis regibus diem natalem Typhonis fuisse nefastum, caeteris Aegyptiis non fuisse? Minime vero; sed videtur illud *οἱ βασιλεῖς* inculcatum esse ab aliquo, qui non animadvertisset subjectum verborum *ἐχρημάτιζον* et *ἐθεράπευον* esse Aegyptios illos, quorum *μῦθος* toto hoc capite refertur.

In caeteris recte pro *αὐτοὺς* Didotiana *αὑτοὺς*.

P. 356 A. *Ἔνιοι δέ φασι καὶ τὸν Ἀρούηριν οὕτω γεγονέναι, καὶ καλεῖσθαι πρεσβύτερον Ὥρον ὑπ' Αἰγυπτίων, Ἀπόλλωνα δὲ ὑπὸ Ἑλλήνων.* Credit Wytt. haec esse glossam, ortam ex antecedentibus, scil. ex verbis: *τῇ δευτέρᾳ τὸν Ἀρούηριν, ὃν Ἀπόλλωνα, (ὃν) καὶ πρεσβύτερον Ὥρον ἔνιοι καλοῦσι.* Immerito. Minime enim noster hic locus illi convenit. Nam in illo dicitur Aruerin esse filium Rheae et Solis, in nostro contra eorum commemoratur opinio, quibus natus esse videbatur ex Iside,

quae scilicet adhuc *κατὰ γαστρός* matris coivisset cum Osiride.

P. 356 E. *Αἰσθομένην δὲ τῇ ἀδελφῇ ἐρῶντα συγγεγονέναι δι' ἄγνοιαν, ὡς ἑαυτῇ τὸν Ὄσιριν.* An igitur aliquis unquam *συγγίγνεται* non *ἐρῶν*, aut solet illud *ἐρῶν συγγίγνεσθαι* fieri *δι' ἄγνοιαν?* Non videtur. Sed pro *ἐρῶντα*, si quid video, legendum est *ἄκοντα*, ut dicatur Osiris per errorem cum Nephthye coivisse, quia eam haberet pro Iside. *Ἄκοντες* enim non tantum ea facimus, quae facimus *inviti*, sed ea quoque, quae *ποιοῦντες* nos ipsos *λανθάνομεν*. Sic v. c. satis frequens est *ἄκων ἁμαρτάνειν*, videas v. c. *Plat. de Rep. I* 336, *Hipp. min.* 372 *E. Eodem libro p.* 370 *E* legimus: *οὐκ ἐξ ἐπιβουλῆς φαίνεται ψευδόμενος, ἀλλ ἄκων.* Sed imprimis res cognosci potest ex lusu verborum, quem legimus apud nostrum in *Apophegm. Lac. p* 232 *E.*, hoce: *Πρὸς δὲ τὸν κολαζόμενον, καὶ λέγοντα, Ἄκων ἡμαρτον, εἶπέ τις, Ἄκων τοίνυν καὶ κολάζου.*

P. 357 B. *Νεμανοῦν, ὅπερ ἂν Ἕλληνες Ἀθηναΐδα προσειπεῖν.* Recte Reiskius *προσείποιεν.* Pro *ὅπερ* legendum videtur *ἥνπερ.* *Ἀθηναῖς* est Patron., *filia Athenae.* Jam igitur haec fere verborum illorum sententia est: *Nemanoun, quam Graeci Athenae filiam appellarent*, si scil. talis Dea, Athenae filia, omnino iis esset.

P. 358 C. *ἀκούσαντα οὖν ἡσθῆναι τὸν Ὄσιριν, ὡς ἱκανῶς παρασκευασαμένου τοῦ Ὥρου.* Vellem *παρεσκευασμένου.* Non enim ipse se instruxeret Horus, sed instructus erat ab alio, ab Osiride.

P. 358 E. *ἀλλ' ἔχει τινὰς ἀπορίας καὶ παθῶν διηγήσεις αὐτῇ.* Recte Squirius et Reiskins animadverterunt post *αὐτή* (pro *αὐτῇ*) interiisse verbum, quale *ὁρᾷς* (sic Squir.), aut *οἶσθα* (sic Reisk.). *Αὐτή* illa est Clea.

Sed videtur in caeteris quoque locus esse corruptus. Nam postquam commemorata sunt in antecedentibus, quae diis, Isidi, Osiridi, aliisque, dici solerent evenisse, — deorum igitur *παθῶν διηγήσεις*, — inepte sic pergitur: *esse autem haec* (*ταῦτα*, ea quae evenisse dicuntur) *non similia poetarum in-*

anibus figmentis, sed habere quasdam ἀπορίας *et* παθῶν διηγήσεις, *ipsa Clea non ignoras.* Etenim παθῶν διηγήσεις continere παθῶν διηγήσεις omnes intelligimus, etiamsi Clea hebetiores. Interpretes offendit illud ἀπορίας; Markland. pro eo proposuit ὑπόνοιας, Reisk. et Wytt. ἱστορίας, et quidem, ut videtur, ut haberent pro eo aliquid, quod cum illo διηγήσεις ratione magis conveniret. Ego tamen, ut intelligitis, mutari potius vellem illud παθῶν διηγήσεις, ut conveniret cum illo ἀπορίας. Quod enim narrationes illae de Diis habere dicuntur aliquas ἀπορίας, aliquid *de quibus non constet, de quibus quaestio sit*, hoc neminem jure offendet, et agitur de talibus quaestionibus ab ipso nostro in proximis; sic v. c. erat talis quaestio, utrum πάθη haec essent deorum ipsorum, an regum potius aut tyrannorum; vid. *C.* 22 init. Sed jam videtur, quemodmodum interierit post αὐτή vocabulum, quale sit οἶδα, sic etiam ante hoc duo vocabula fuisse partim erasa, et deinde renovata falsis litteris superscriptis, et jam vix dubito, quin partim erasa fuerint (λόγ)ων δι(αφά)σεις, et haec renovata deinde per (παθ)ῶν δι(ηγή)σεις. Vocabulum διαφάσεις legis v. c. apud nostum *p.* 354 *C* in hisce: καὶ μετεῖχε τῆς φιλοσοφίας ἐπικεκρυμμένης τὰ πολλὰ μύθοις καὶ λόγοις ἀμυδρὰς ἐνφάσεις τῆς ἀληθείας καὶ διαφάσεις ἔχουσιν. Quid sit illud τῶν λόγων διαφάσεις ἔχειν apparet ex iis quae post verba nostra proxime sequuntur: καὶ καθάπερ οἱ μαθηματικοὶ τὴν ἶριν ἔμφασιν εἶναι τοῦ ἡλίου λέγουσι ποικιλλομένην τῇ πρὸς τὸ νέφος ἀναχωρήσις τῆς ὄψεως, οὕτως ὁ μῦθος ἐνταῦθα λόγου τινὸς ἔμφασίς ἐστιν ἀνακλῶντος ἐκ' ἄλλα τὴν διάνοιαν. Verba igitur nostra sic rescribas: ἀλλ' ἔχει τινὰς ἀπορίας καὶ λόγων διαφάσεις, αὐτὴ οἶσθα.

P. 359 A. οὐχ ἥκιστα δὲ ἡ τῶν Ὀσιρείων δόξα, πολλαχοῦ κεῖσθαι λεγομένου τοῦ σώματος. Ἄβυδον ἴσως ἢ Μέμφιν ὀνομάζεσθαι πολίχνην λέγουσι, ὡς μόνον τὸ ἀληθινὸν ἔχουσαν, κτλ.

Ἄβυδον ἴσως ἢ Μέμφιν desunt in optimis codicibus. Videntur ex margine in textum translata. Profecta sunt fortasse a Grammatico quodam, qui cum animadvertisset ante ὀνομάζεσθαι

nomen urbis interiisse, hoc fuisse annotaverit *fortasse* (ἴσως) *Ἄβυδον vel* (ἢ) *Μέμφιν*. Sed hic satis inepte. In urbium enim recensione, quae Osirea haberent, (quae recensio proponitur et in capite hoc et in proxime sequente) unum nomen bis sic apponeretur, nam et Abydus et Memphis enumeratur quoque in sequentibus. Paulo tantum melius Wytt. locum sic constituit: πολλαχοῦ γὰρ κεῖσθαι λεγομένου τοῦ σώματος ὀνομάζεσθαι πολίχνην λέγουσι, ὡς μόνην τὸ ἀληθινὸν ἔχουσαν, atque πολίχνην illam credit esse *Ταφόσιριν*. Immerito. Etiam hujus enim urbis in recensione deinceps mentio extat. Sed videtur verum illius urbis nomen latere in monstruosa lectione codicis Florentini G., quam nobiscum communicavit Parthey hoce: σώματος. Τήν τε γὰρ ἐχειτῖνον ὀνομάζεσθαι. Nam pro ἐχειτῖνον deleto ὀν, quod videtur ortum ex dittographia primae syllabae verbi ὀνομάζεσθαι, sine dubio scribendum est *Διοχίτην* vel *Διοχείτην*, de qua legimus apud Steph. Byzant. *Διοχίτης· κώμη Αἰγύπτου, ἐν ᾗ τέθαπται . . . . . Ὄσιρις* (vid Parth. ad *C.* 7 *p.* 172.); κώμη hoc optime convenit Plutarchi illi πολίχνη; illi *Τήν τε γάρ* codicis G. respondet in sequentibus ἐν τ' *Ἄβυδῳ*, mutare τήν codicis G. in τόν necesse non est, nam fortasse nomen *Διοχίτης* (τη) utitur genere utroque, fortasse Plutarchi femininum Stephani masculino praeferendum est. — Sed neque sic locus plane correctus est. Nam interiisse videntur verba, quibus diceretur *qualis πολίχνη appellaretur Diochita.* E quibus verbis sine dubio fuit τάφος; — credas v. c. fuisse ea τὴν τάφου *Ὀσίριδος* — nam in proximis pro τὸ ἀληθινόν habent Codex Par. *E* (n° 1672) et duo Florentini τὸν ἀληθινόν; Florent. G. τῶν ἀληθινῶν, quod ex illo corruptum est. Videtur igitur postquam exstitit illa lacuna, cum τὸν ἀληθινόν nusquam referri posset, hoc mutatum esse in τὸ ἀληθινόν, ut spectare posset ad *Ὀσίρεια*. Sed *Ὀσίρεια* haec, monumenta in honorem *Ὀσίριδος*, alia aliis non erant veriora: verus aut falsus poterat tantum esse Osiridis τάφος. Totus igitur locus sic rescribatur: — lacunam explebo verbis illis τὴν τάφου *Ὀσίριδος*, — οὐχ ἥκιστα

δὲ ἡ τῶν Ὀσιρείων δόξα, πολλαχοῦ κεῖσθαι λεγομένου τοῦ σώματος· τήν τε γὰρ Διοχίτην (τὴν τάφου Ὀσίριδος) ὀνομάζεσθαι πολίχνην ὡς μόνην τὸν ἀληθινὸν ἔχουσαν, ἔν τε Ἀβύδῳ κτλ.; quae haud difficilia explicatu.

P. 360 A. μεγάλας μὲν τῷ ἀθέῳ λεῷ κλισιάδας ἀνοίγοντας καὶ ἐξανθρωπίζοντι τὰ θεῖα, λαμπρὰν δὲ κτλ. Λεῷ insertum videtur a correctore, eoque haud inepto. Illud tamen divina miscere humanis (ἐξ οὐρανοῦ μεταφέρεσθαι ἐπὶ γῆν ὀνόματα τηλικαῦτα κτλ.) non dici potest esse mysteria communicare cum profano populo. Quod dicitur nostro loco, si retinemus λεῷ.

Sed hoc ejiciendo simul consultum erit illi ἐξανθρωπίζοντι, quod jam offendit Markl., qui legit pro eo ἐξανθρωπίζοντας; sic enim cum τῷ ἀθέῳ conjungi potest. Τῷ ἀθεῷ καὶ ἐξανθρωπίζοντι ἀνοίγειν κλισιάδας est *admittere impietatem et studium divinas res in humanas convertendi.* Ἀνοίγειν autem κλισιάδας dici etiam posse figurate probat locus nostri ex vita Alcib. 195 F, quem huc adtulit Wytt. μεγάλας δ' αὐτῷ κλισιάδας ἐπὶ τὴν πολιτείαν ἀνοίγοντος τοῦ τε γένους καὶ τοῦ πλούτου.

P. 361 E. καὶ πολλὰ μὲν ἔργα σοφίας, πολλὰ δὲ ἀνδρίας, ἀμνηστίαν ὑπολαβοῦσα καὶ σιωπήν. Meziriacus ὑπολαβοῦσαν. Fortasse ἐπιλαβοῦσαν.

P. 362 D. καὶ γὰρ Πλάτων τὸν Ἅιδοῦς υἱόν τοῖς παρ' αὐτοῦ γενομένοις καὶ προσηνῆ θεὸν ὠνομάσθαι φησίν· Plato Cratyl. 403 E habet.. ἔστιν.. ὁ θεὸς οὗτος τέλεος σοφιστής τε καὶ μέγας εὐεργέτης τῶν παρ' αὐτῷ. Fortasse scripsit Plutarchus: ὡς διδασκαλικὸν τοῖς παρ' αὐτῷ γενόμενον καὶ προσηνῆ θεόν. Facillime litteris vocabuli ΔΙΔ(α)C(καλ)Ι(κ)ΟΝ partim erasis superscribi potuit ΑΙΔ(ου)C(υ)ΙΟΝ.

P. 363 A. λέγουσι γὰρ ἐν ἀρτίῳ μέτρῳ ἕκτῳ καὶ πεντηκοστῷ γεγονέναι Τυφῶνα· καὶ πάλιν τὴν μὲν τοῦ τριγώνου, Ἅιδου καὶ Διονύσου καὶ Ἄρεος εἶναι· τὴν δὲ τοῦ τετραγώνου, Ῥέας καὶ Ἀφροδίτης καὶ Δήμητρος καὶ Ἑστίας καὶ Ἥρας· τὴν δὲ τοῦ δωδεκαγώνου, Διός· τὴν δὲ ἑκκαιπεντηκονταγωνίου, Τυφῶνος· ὡς Εὔδοξος ἱστόρηκεν.

Alii numeri aliorum *μέτρα* sunt. *Μέτρα, ἀριθμοὶ μετρούμενοι*, et *ἀριθμοὶ διαφεύγοντες τὸ μετρηθῆναι* cognoscuntur, ut notum est, per cribrum Eratosthenis, cujus explicat rationem *Nicomachus in Introd. Arithm. libr. I, c.* 13, ubi et multa alia legimus, et (sub n^{um} 7^{am}) haec quoque: *ἐὰν οὖν σημείοις τισὶ ἐπιστίξῃς τοὺς ἀριθμούς, εὑρήσεις τοὶς μεταλαμβάνοντας τὸ μετρεῖν οὔτε ἅμα πάντας τὸν αὐτόν ποτε μετροῦντας, ἔστι δὲ ὅτε οὐδὲ δύο τὸν αὐτόν, οὔτε πάντας ἁπλῶς τοὺς ἐκκειμένους ὑποπίπτοντας μέτρῳ τινὶ αὐτῶν, ἀλλὰ τινὰς μὲν παντελῶς διαφεύγοντας τὸ μετρηθῆναι ὑφ' οὑτινοσοῦν, τινὰς δὲ ὑπὸ ἑνὸς μόνου μετρουμένους, τινὰς δὲ ὑπὸ δύο ἢ καὶ πλειόνων.* Habuerunt igitur numeri aut nullam mensuram, aut unam aut plures, et sic mensuram primam, secundam, tertiam etc. Sed hinc jam explicari possunt verba haec nostri ex libro de *Genio Socr. p.* 592 *C: σελήνη δέ, Δαιμόνων ἐπιχθονίων οὖσα, φεύγει τὴν Στύγα μικρὸν ὑπερφέρουσα· λαμβάνεται δὲ ἅπαξ ἐν μέτροις δευτέροις ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἕπτα·* Nam dicitur luna, licet plerumque Stygem effugiat, nonnunquam tamen ab eo corripi et quidem semel in uno quoque *μέτρῳ δευτέρῳ τῶν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἕπτα.* Jam habet numerus 177 duo *μέτρα*, primum numerum 3, secundum numerum 59; corripiebatur igitur luna unoquoque anno, aut unoquoque lunae circuitu, — quinam enim illi fuerint, qui numero quinquaginta novem essent, ex loco non apparet, — unoquoque anno aut lunae circuitu 59°. Numerus hic 59 est etiam annorum, quibus conficitur magnus annus Pythagoraeorum. Est libellus ille *de Genio Socratis* Pythagoraeorum plenus.

Quod autem ad nostrum *ἄρτιον μέτρον* adtinet, nusquam vidi hoc a *περισσῷ* distingui. Sed tamen cum etiam numeri pares haberent sua *μέτρα*, (cribrum Eratosthenis tantum est de imparibus,) et haec esse possint cum numeri pares, tum impares, fieri potuit, ut horum distinguerentur *μέτρα ἄρτια* a *περισσοῖς*. Hoc igitur modo *ἀρτίῳ* explicari posset, est tamen, ut videtur, corruptum. Inepte enim *μέτρῳ* illi non additur numerus, cujus *μέτρον* sit, atque nemo crediderit cum Wytten-

bachio esse omnes numeros pares *μέτρα ἄρτια*, — an igitur omnia imparia *μέτρα περισσά?* Et *μέτρα*, quorumnam? — atque igitur *μέτρον* 56um esse numerum 112. Sed videtur pro *ἀρτίῳ* legendum esse *τετάρτῳ*, et pro ordinali *ἕκτῳ καὶ πεντηκοντοστῷ* reponendum cardinale *ἓξ καὶ πεντήκοντα*. Hoc igitur quemadmodum *ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἕπτα* in loco illo ex libro *de Gen. Socr.* est genetivus; utrumque fortasse articulo (*τῶν*) carere non potest. *Μέτρα* numeri 56 sunt 2, 4, 7, 8, 14, 28. Quartum igitur *μέτρον* est numerus 8, qui numerus ad *γένεσιν* Typhonis spectare potuit. Hunc enim natum esse accepimus *μὴ καιρῷ, μηδὲ κατὰ χρόνον* (*p.* 355 *F*). Credas eum per octo tantum menses in utero matris fuisse.

Dicitur p. 381 C numerum 60 esse *τὸ τῶν μέτρων πρῶτον τοῖς περὶ τὰ οὐράνια πραγματευομένοις*. Omnino *πρῶτον μέτρον* his, *τοῖς περὶ τὰ οὐρανίν πραγματευομένοις*. Per se enim hic numerus nullius numeri *πρῶτον μέτρον* est. Vide ibi Wyttenbachium.

De *γενέσει* praeterea illa *τοῦ τριγώνου, τοῦ τετραγώνου* etc. vid. Theonem Smyrnaeum de Arith. c. 74 seq.

P. 364 D. *οὕτω γὰρ ὀνομάζων διατελεῖ τὸν θεὸν, εἰκότως ἀπὸ τῆς φύσεως καὶ εὑρέσεως. Εὑρέσεως* varie tentarunt viri docti. Corrigi debet ex verbis hisce, quae leguntur *p.* 361 *A*: *ὡς τῶν δαιμόνων μικτὴν καὶ ἀνώμαλον φύσιν ἐχόντων καὶ προαίρεσιν. Προαίρεσις* est *vitae institutio.* Sic v. c. cursoris est *προαίρεσις* currere, equitis equitare, poetae versus facere. Quod apparet ex loco hoce Plutarcheo ex libro *Quomodo adul. ab amic. inter.* p. 54 D: *αὐτός* (adulator) *φησι ταχέως τρέχειν, ἵπτασθαι δ' ἐκεῖνον* (eum cui adulatur). *αὐτὸς ἱππεύειν ἐπιεικῶς, «ἀλλὰ τί πρὸς τὸν Ἱπποκένταυρον τοῦτον»; εὐφυής εἰμι ποιητὴς καὶ στίχον οὐ φαυλότατον γράφω,*

«βροντᾶν δ' οὐκ ἐμὸν ἀλλὰ Διός».

ἅμα γὰρ αὐτοῦ δοκεῖ τὴν προαίρεσιν ἀποφαίνειν καλὴν μιμούμενος καὶ τὴν δύναμιν ἀνέφικτον ἡττώμενος.

Sic igitur nostro loco Osiris dicitur appellatus esse Hysiris *a natura sua atque ratione.* Praestare videtur mea correctio Marklandiana illa, quam recepit Didotiana: (*ἀπὸ τῆς*) *ὕσεως*

καὶ τῆς ὑγρασίας. Nam non tantum multo lenior est, sed totius etiam loci rationi melius convenit. Dicit enim noster Ὑιόν *dici* ἀπὸ τοῦ ὕδατος καὶ τοῦ ὕσαι, *et Bacchum inde appellari Hyen*, ὡς κύριον τῆς ὑγρᾶς φύσεως, *quia non sit alius quam Osiris; hunc enim*, — quia sit scil. κύριος τῆς ὑγρᾶς φύσεως, — *dici quoque* Ὑσιριν, *a natura illa, ut appareat, atque ratione.*

P. 366 D. καὶ τότε κρατήσας πανταπασι τὸν Νεῖλον εἰς ἐναντίον ὑπὸ ἀσθενείας συσταλέντα καὶ ῥυέντα, κοῖλον. καὶ ταπεινὸν ἐξέωσεν εἰς τὴν θάλασσαν. Bent. ἑαυτόν. Conjeceram ῥευμάτιον, quod fortasse illo praestat. Hoc enim spatium illius ἐναντίον melius explet, et facilius in id depravari potuit; (ῥ)ευ(μ)ατιον, ἐνα(ν)τιον. Praeterea non video, cur Νεῖλος κοῖλος καὶ ταπεινός diceretur flumen ipsum. In caeteris tollo virgulam post ῥυέντα, ut hoc conjungatur cum κοῖλον καὶ ταπεινόν. Ῥυέντα enim absolute positum hoc loco nihili esset.

P. 366 F. Τῇ δὲ ἑνάτῃ ἐπὶ δέκα νυκτὸς ἐπὶ θάλασσαν κάτεισι κτλ. Optime Wytt. «Rectius κατίασιν *descendunt.* Sed major est difficultas in numero. Nam cum luctus argumentum quatuor partes, ideoque dies totidem haberet, non apparet, quare tertio die festum ex lugubri in laetum mutaretur, praesertim cum diserte hic dictum sit, quatriduum ἐν πένθει τῆς θεοῦ actum: neque aliunde constet, luctum perditi et gratulationem reperti Osiridis, eodem deinceps tempore celebrari consuevisse». Sed tamen etiam haec difficultas tolli poterit mutato tantum δέκα in εἴκοσι. Sic enim dicuntur sacerdotes Aegyptii quatriduo illo luctum egisse, deinceps alio die ab illis separato, scil. vicesimo nono, repente in laetitiam conversos esse. Quae tempora, cur iis aut luctus actus sit, aut caeremoniae nonnullae celebratae sint laetitiae documenta, intelligetis ex eo quod festa illa haud minus lunaria sunt, quam ad Nilum decrescentem spectant. Dicit Plutarchus (*p.* 367 *E*): ἑβδόμῃ ἐπὶ δεκὰ τὴν Ὀσίριδος γενέσθαι τελευτὴν Αἰγύπτιοι μυθολογοῦσιν. Minus recte tamen addit: ἐν ᾗ μάλιστα γίνεται πληρουμένη κατάδηλος

ἡ πανσέληνος, Non enim dies decimus septimus erat plenilunii, sed potius quatuordecimus. Dictum esse videtur idcirco illo die γενέσθαι τὴν Ὀσίριδος τελευτήν, quia decrescere lunam tunc primum oculis cernebatur. Ab hoc igitur inde die per quatriduum lugebant sacerdotes illi Aegyptii Osiridem intereuntem, amissum. Dies ille vicesimus nonus erat ille, quo dicit noster φαίνεσθαι πρῶτον (τὴν σελήνην) ἐκφυγοῦσαν τὰς αὐγὰς καὶ παρελθοῦσαν τὸν ἥλιον (p. 368 A). Hoc igitur die laetabantur, quia Osiris inventus esset, ὡς εὑρημένου τοῦ Ὀσίριδος. Erat ille dies, ut comperimus ab nostro p. illa 368 A, ἀτελὲς ἀγαθόν, et quidem, quia Osiris ἀγαθοποιός; manifesto propter hoc tantum ἀτελὲς ἀγαθόν, quod luna illo die apparebat quidem, sed tantum minima ex parte. Sed jam intelligetis festa illa fuisse lunaria, et inventum esse Osiridem die non undevicesimo, sed vicesimo nono. Quid quod lunarem festorum illorum naturam vel prodit ipso nostro loco ἀγαλμάτιον illud μηνοειδές, quod die illo vicesimo nono effingebant. Δέκα illud profectum videtur a grammatico, qui cum nesciret Plutarchum per simplex δὲ saepissime ad plane aliena transire, locum nostrum sic mutandum putaverit, ut dies reperti Osiridis esset ex illi quatriduo, quod proxime antecederet.

P. 367 E. Ἑβδόμῃ ἐπὶ δέκα τὴν Ὀσιριδος γενέσθαι τελευτὴν Αἰγύπτιοι μυθολογοῦσιν, ἐν ᾗ μάλιστα γίνεται πληρουμένη κατάδηλος ἡ πανσέληνος. Errorem quem ego praecedenti annotatione demonstravi esse Plutarchi, hic tribuit Wyttenb. librariis, qui locum sic correxit: ἐν ᾗ μάλιστα γίνεται μετὰ τὴν πλήρωσιν μειουμένη κατάδηλος ἡ πανσέληνος.

P. 367 F καὶ διαιρεῖ τὸν ἐπόγδοον λόγον εἰς ἄνισα διαστήματα τεμνόμενος. Tentarunt viri docti διαιρεῖ. Ut videtur, immerito. Λόγος enim ἐπόγδοος est hic 8 : 9. Hunc igitur numerus 17 efficere dicitur dirimendo. Duo enim numeri 8 plane iidem sunt, et nullum λόγον efficiunt. Accedat tamen horum alteri unum, — quod est numerus septendecim; duo enim numeri 8 efficiunt 16, — jam simul et

diversi fient (alter manebit 8, alter fiet 9), dirimentur, et efficient aliquem λόγον, sc. τὸν ἐπόγδοον. Sic igitur numerus 17, — cuiius est ἀντιφράττειν, διαζευγνύναι, — διαζεύγνυσι, διαιρεῖ, etiam hac in re. Argute satis, sine dubio. Num tamen Pythagoreeis argutius?

P. 369 B. περιφερομένην. Praeferrem περιφερομένη. Melius enim περιφέρεσθαι dicitur δόξα, quam πίστις.

P. 371 B. φράζει μὲν τὸ καταδυναστεῦον καὶ καταβιαζόμενον, φράζει δὲ τὸ πολλάκις ἀναστροφὴν καὶ πάλιν ὑπερπήδησιν. Pro τὸ jam Markl. τήν. Caeterum satis jejune hoc loco dicitur φράζει μὲν . . . φράζει δέ, nec φράζει μέν illud cum proxime antecedentibus cohaeret. Sed videtur totum illud φράζει μὲν τὸ καταδυναστεῦον καὶ καταβιαζόμενον a grammatico aliquo insertum esse, qui ferre non posset, quod φράζει δὲ nullum haberet μέν. Petivit sua ex capite 41°, p. 367 D, ubi legitur: Σὴθ.... ὅπερ ἔστὶ καταδυναστεῦον ἢ καταβιαζόμενον. In parte enim disputationis, unde verba nostra sumpta sunt, minime perhibetur Typhon καταδυναστεῦειν vel καταβιάζεσθαι, — legimus contra paucis ante τὸ κράτος esse τῆς βελτίονος, — sed cogitatur potius similis esse equo acri atque ferventi, qui tamen, licet frenis reluctetur, a valido equite comprimi possit. Jam igitur intelligimus, quales sint illae ἐκδρομαί et ἀφηνιασμοί, intelligimus quoque illud etymon nominis Seth: φράζει δὲ τὴν πολλάκις ἀναστροφὴν καὶ πάλιν ὑπερπήδησιν. Nam ἀναστροφή dici potest de equo, qui ab auriga refrenatur, et pro ὑπερπήδησιν legendum videtur ὑπεκπήδησιν. Seth igitur est ille, qui quidem πολλάκις refrenatur, sed tamen postquam refrenatus est, identidem πάλιν exsultat. Minus ornate etymon proponitur p. 376 B. De Typhonis similitudine cum animale reluctanti plura videbimus in annotatione proxime sequenti.

P. 371 C. Ἐν Ἑρμοῦ πόλει δὲ Τυφῶνος ἄγαλμα δεικνύουσιν ἵππον ποτάμιον ἐφ' οὗ βέβηκεν ἵεραξ, ὄφει μάχομενος· τῷ μὲν ἵππῳ τὸν Τυφῶνα δεικνύντες, τῷ δὲ ἵερακι δύναμιν καὶ ἀρχήν, ἣν βίᾳ κτώμενος ὁ Τυφὼν πολλάκις οὐκ ἀνιᾶται ταραττόμενος ὑπὸ τῆς κακίας καὶ ταράττων· Ulti-

ma verba aut nullum aut ineptum sensum praebent. Legatur: ὧν (aut, quod fortasse praestat, οὗ) βίᾳ χρώμενος ὁ Τυφὼν πολλάκις οὐκ ἀνίεται (sic, ut nunc video, jam ante me Markl.) ταράττομενος ὑπὸ τῆς κακίας καὶ ταράττων: *a quibus Typhon, licet saepius vi utatur, non liberatur, qui Typhon malitia sua perturbatar et (alios) perturbat.*

Locus intelligetur, si spectaveris ea quae in priore annotatione dixi de Typhonis similitudine cum equo. Legimus hic Typhonis imaginem redditam fuisse hippopotamo, cui impositus fuerit accipiter, quo indicaretur potentia ac dominatio, quas (potentiam ac dominationem), — aut, si legis οὗ, quem (accipitrem) — hippopotamus frustra a cervicibus dejicere conatus sit. Ἱέρακι autem τὸν θεὸν φράζουσι. . . ἵππῳ ποταμίῳ δ' ἀναίδειαν; sic noster p. 363 F. Immerito tamen loco nostro paucis post p. 371 E perhibetur accipitre illo indicari Osiridem; vide Parthey in annotatione. Revera enim accipiter pertinebat ad Horum, qui fuit, ut novimus (videas v. c. p. 368 D) Typhonis adversarius; vide *Tiele Geschiedenis van den Egyptischen Godsdienst p.* 71 *et* 72. Nil igitur mirum, quod Aegyptii hunc avem Typhonis cervicibus imposuerunt.

Statueram pro ultimam participiam ταράττων legendum esse σπαραττόμενος. Sed equus acer, qui ab equite comprimitur, hunc, licet eum a cervicibus dejicere non possit, tamen concutit, perturbat.

P. 371 F, 372 A. Ἀμπεχόνη δὲ φλογοειδὴς στέλλουσα αὐτοῦ τὰς εἰκόνας, ἥλιον σῶμα τῆς τἀγαθοῦ δυνάμεως, ὡς ὁρατὸν οὐσίας νοητῆς, ἡγούμενοι Recte Baxter ἀμπεχόνῃ δὲ φλογοειδεῖ στέλλουσι. Nam στέλλομεν veste, non vestis ipsa στέλλει.

Caetera, ut arbitror, immerito a viris doctis tentata sunt. Locus sic accipiatur: *quod simulacra ejus flammeo amiculo velantur, idcirco fit, quia, quoad res intelligibiles habere possunt corpora quae oculis cernantur, Solem Principii Boni corpus existimant.*

P. 372 C Ἔτι δὲ τὴν βοῦν ὑπὸ τροπὰς χειμερινὰς ἑπτάκις περὶ τὸν ναὸν περιφέρουσι· καὶ καλεῖται ΖΗΤΗΣΙΣ ΟΣΙ-

ΡΙΔΟΣ ἡ περιδρομὴ τοῦ ἡλίου, τὸ ὕδωρ χειμῶνος τῆς θεοῦ ποθούσης· Τὸ ὕδωρ illud offendit Madvigium, offendit etiam Herwerdenum. Legit hic (*Plut. et Luc. p.* 14) *τοῦ ἡλίου τὸ πῦρ*, ille *τοῦ ἡλίου τὸ φῶς;* transposuit uterque virgulam ante *ἡλίου*.

Neutrum placet. Dea enim Isis, quae erat terra, tempore hiemali (*χειμῶνος*), — quo tempore, ut notum est *ταπεινός* erat *ὁ Νεῖλος*, — desiderabat aquam. Dicit Madvigius *Advers. Crit. I*, *p.* 633: «imbres aestate Aegyptum irrigantes *ὕδωρ ἡλίου* appellari non possunt». Omnino non possunt. In Aegypto enim imbres nulli sunt, aut saltem sunt rarissimi et nunquam rariores, quam tempore aestivo.

Tempore illo hiemali, quo terra indigebat aqua, Isis dicebatur quaerere Osiridem. Erat hoc igitur tempus *τῆς ζητήσεως Ὀσίριδος*. Sed eodem tempore, quod omnes novimus et audimus etiam a Plutarcho, *κλίνεται ὁ ἥλιος καὶ πλάγιος αφ' ἡμῶν φέρεται*. Videtur igitur pro *περιδρομὴ* ponendum esse vocabulum, quo indicetur solis declinatio tempore hiemale v. c. *παρεκδρομή*. Fons depravationis fuit, quod voluerit grammaticus aliquis verbum nostrum accommodare illi *περὶ τὸν ναὸν περιφέρειν*.

P. 373 C. *Ὁ δὲ Ὥρος οὗτος, αὐτός ἐστιν ὡρισμένος καὶ τέλειος οὐκ ἀνῃρηκὼς τὸν Τυφῶνα παντάπασιν κτλ.* Locus a viris doctis varie tentatus corrigi posse videtur ex lectione codicis Florent. F, quam primus, quod sciam, nobiscum communicavit Parthey: *Ὥρος αὐτός ἐστιν οὕτως*. Hac enim recepta mutato tantum *οὕτως* in *ὁμῶς* facillime locus explicari potest. Nam postquam egit noster in antecedentibus de Apolline, quem etiam *πρεσβύτερον Ὥρου* adpellarent, hic pergit de eo, qui revera Horus fuerit, de *Ὥρῳ αὐτῷ*, et hunc, postquam *τὸν πρεσβύτερον Ὥρον* dixit *ἀνάπηρον*, dicit contra *τέλιον*, sed simul (*ὁμῶς*) tamen *ὡρισμένον*, qui scilicet non esset Typhonem *ἀνηρηκὼς παντάπασιν*. Tantum enim si hunc plane sustulisset, ipse ubique regnare posset. Quid quod in eo, quod est simul *τέλειος* et *ὡρισμένος*,

vel arcana ejus quodammodo posita ratio est. *Τέλινος* autem est, quia pater ejus est *λόγος αἰτιος καθ' ἑαυτόν ἀμιγής καὶ ἀπαθής*. *Ἡφαιστος* est *διά τὸ παμπτικόν*, quia a Typhone circumscribitur (p. 373 *F*). Quae mixta Dei natura alia ratione explicatur C. 57°.

P. 375 A *Ὅπου δὲ ὁ Τυφὼν περιπίπτει τῶν ἐσχάτων ἀπτόμενος*, *ἐντεῦθεν δοκοῦσιν ἐπικεφωνάζειν καὶ πενθεῖν λεγομένην*, *καὶ λείψανα ἄττα καὶ σπαράγματα τοῦ Ὀσιρίδος ἀναζητεῖν καὶ στέλλειν*, *ἐπιδεγομένην τὰ φθειρόμενα καὶ*, *ἀποκρίνουσαν*, *ὥσπερ ἀναφαίνει πάλιν τὰ γινόμενα*, *καὶ ἀείρουν ἐξ ἑαυτῆς*. Rectissime Madvigius haec conjunxit cum antecedentibus, ut pergit noster explicare, quomodo *χρὴ διανοεῖσθαι τὴν Ἶσιδα*. Antea demonstraverat, quomodo *χρὴ* eam *διανοεῖσθαι μεταλαγχάνουσαν τοῦ πρώτου θεοῦ*, scilicet *ἀκήρατον καὶ ἀγλαγομένην*, *καὶ*, — sic fere, — *ἀπαπιπλοκίνην τοῖς κεφαλαιοτάτοις μέρεσιν καὶ καθαρωτάτοις*, nunc dicit eam *ὅπου δὲ ὁ Τυφὼν περιπίπτει*, *ἐντεῦθεν*, dum videatur *ἐπικεφωνάζειν*, *καὶ* dicatur *πενθεῖν καὶ ἀναζητεῖν καὶ στέλλειν*, *διανοεῖσθαι χρὴ ἐπιδεγομένην τὰ φθειρόμενα καὶ ἀποκρίνουσαν*. Quod igitur in illis mythis dicitur Dea *πενθεῖν* etc. hoc perlibet noster sic intelligi debere, ut credatur *τὰ φθειρόμενα ἐπιδέχεσθαι καὶ ἀποκρίνειν*. Habere enim credebantur tales mythi semper aliquem sensum absconditum atque verissimum. Locus igitur explicari sic posset, sed hic ejus sensus multo facilius agnoscetur, si deleveris illud *δοκοῦσιν*, quod haud scio an insertum sit a Grammatico quodam, cui Infinit: *ἐπικεφωνάζειν* carere videretur participio. Tollenda praeterea virgula post *λεγομένην*. Herwerdeni *δοκοῦσιν* et *λέγουσιν* unus placet. Non enim narrat noster aliquid de sua aut communi Graecorum opinione, sed explicat rationem fabularum Aegyptiarum.

P. 373 C. *Καθόλου δὲ ἀμείνων οὗτος ἐστίν*, *ὥστερ καὶ Πλάτων ὑπονοεῖ καὶ Ἀριστοτέλης*. *κινεῖται δὲ τῆς φύσεως τὸ μὲν γόνιμον καὶ ποιητικὸν ἐπ' αἰτίαν*, *κτλ.* Locus variis modis tentatus. Vix dubito, quin legendum sit *ὁ ἀμείνων αἴτη ἐστίν*. Mutatum videtur *αἴτη* in *οὗτος*, postquam interierit articulus,

ne masculinum ἐπ' αὐτον referre cogerentur ad femininum ἀμείνων αὐτη. Videtur enim ὁ ἀμείνων esse ille bonus Deus, illud boni principium, quod in disputatione inde a C. 46° mali principio, malis geniis, opponitur. Jam igitur, postquam noster multa de his disputavit, tandem perhibet loco nostro esse fere illam δύναμιν γόνιμον καὶ σωτήριον, de qua egit capite praecedente in fine, revera illum bonum Deum, illum ἀμείνονα, de quo tota paene disputatio est in de ab illo capite 46°.

P. 375 D. Οὕτω δὲ καὶ Πλάτων φησὶ τὴν ὁσίαν δηλοῦν τοὺς παλαιούς, Ἰσίαν καλοῦντας· οὕτω καὶ τὴν νόησιν καὶ τὴν φρόνησιν, ὡς νοῦ φορὰν καὶ κίνησιν οὖσαν, ἱεμένου καὶ φερομένου, καὶ τοῦ συνιέναι καὶ τἀγαθὸν ὅλως, καὶ ἀρετὴν ἐπὶ τοῖς εὑροῦσι καὶ θέουσι θέσθαι. Baxter τὸ συιέναι, Bentl. ἐπὶ τοῖς ῥέουσι. Recte uterque.

Sed praeter haec plura corrupta sunt. Ὁσίαν enim et Ἰσίαν plane videntur nihili; καὶ τὴν νόησιν καὶ τὴν φρόνησιν egent verbo (in infinit. vel partic.), cui subjiciantur; ἱεμένου καὶ φερομένου a νοῦ sic paene disjungi non possunt, et illud ὡς νοῦ φορὰν καὶ κίνησιν οὖσαν continere potest etymon verbi φρόνησις, verbi tamen νόησις, ad quod simul spectat, non potest.

Locus tamen emendari poterit, si totam Plutarchi disputationis rationem in hoc capite spectaveris.

Nam postquam dixit in capitis initio τὸν ἀμείνονα θεόν esse τὴν γόνιμον καὶ σωτήριον δύναμιν, jam perhibet omnia γόνιμα et σωτήρια versus eam κινεῖσθαι, — eorum naturam in hac κινήσει positam esse. Jam hoc probat demonstrando in plurimis nominibus rerum, quae sunt ex τοῦ ἀγαθοῦ et universe etiam (ὅλως) in nomine τοῦ αγαθοῦ ipso latere quandam notionem motionis; sic in nomine Isidis, sic in illo Ἰσία, sic in illo φρόνησις, in illo συνιέναι et tandem igitur in ipso quoque illo ἀγαθῷ, et ἀρετῇ.

Sed jam apparet omnia etyma, quae hoc capite commemorentur, esse debere a verbis movendi. Quod eos latuit, qui Ἰσίαν et ἑσίαν mutarunt. Nam Plato in loco ex Cratulo, quo spectant haec nostra (431 *C D*), primum derivat nomen

Ἑστία ab vocabulo ἑσία, quod sit pro οὐσία, ut probet Vestam esse τὸ τῆς οὐσίας μετέχον, deinde tamen dicit pro οὐσία dici etiam ὡσία, atque eos qui hac vocabuli forma utantur, existimare σχεδόν τι καθ' Ἡράκλειτον τὰ ὄντα ἰέναι τε πάντα καὶ μένειν οὐδὲν, atque iis videri τὸ αἴτιον καὶ τὸ ἀρχηγὸν αὐτῶν (τῶν ὄντων) εἶναι τὸ ὠθοῦν, ὅθεν δὴ καλῶς ἔχειν αὐτὸ Ὠσίαν καλεῖσθαι. Sed jam tu vides loco nostro pro ὁσίαν legendum esse οὐσίαν, pro Ἰσίαν, Ὠσίαν, et interriisse post παλαιούς nonnulla, qualia v. c. λεγομένην ἐπὶ τοῦ ὠθουμένου, et inserenda esse ἐπὶ τοῦ ante ἱεμένου. Totus igitur locus sic rescribatur: οὕτω δὲ καὶ Πλάτων φησὶ τὴν οὐσίαν δηλοῦν τοὺς παλαίους [λεγομένην ἐπί τοῦ ὠθουμένου] ὡσίαν καλοῦντας· οὕτω καὶ τὴν νόησιν καὶ τὴν φρόνησιν, ὡς νοῦ φορὰν καὶ κίνησιν οὖσαν, [ἐπὶ τοῦ] ἱεμένου καὶ φερομένου, καὶ τὸ συνιέναι καὶ ἀγαθὸν ὅλως, καὶ ἀρετὴν ἐπὶ τοῖς ῥέουσι καὶ θέουσι θέσθαι·

P. 375 E. Ὁ δὲ ἀναφαίνων τὰ οὐράνια καὶ τῶν ἄνω φερομένων Ἄνουβις λόγος, ἔστι δὲ ὅτε καὶ Ἑρμάνουβις ὀνομάζεται, τὸ μὲν, ὡς τοῖς ἄνω, τὸ δὲ, ὡς τοῖς κάτω προσῆκον. Subjectum ὁ ἀναφαίνων λόγος eget verbo. Reddas ei suum ejiciendo δὲ, *Anubis i. e. is qui coelestia ostendit, nonnunquam* (ἔστι ὅτε) *etiam Hermanubis appellatur, cum nomen Anubis pertineat ad superiora, nomen Hermanubis ad inferiora.*

P. 375 F. τὴν δὲ ἐπὶ τοῦ πνεύματος οἱ μὲν Ὄσιριν, οἱ δὲ Σάραπιν, οἱ δὲ Σωθὶ, Αἰγυπτιστί· Dicit igitur eundem esse Osiridem, Serapidem et Sothi, et hoc nomen Sothi, sic enim pergit, indicare κύησιν ἢ τὸ κύειν, διὸ καὶ παρατροπῆς γενομένης τοῦ ὀνόματος, Ἑλληνιστὶ κύων κέκληται τὸ ἄστρον, ὅπερ ἴδιον τῆς Ἴσιδος νομίζουσιν,

Omnino hoc est παρατρέπειν τὰ ὀνόματα appellare aliquo ex Osiridis nominibus, stellam aliquam, quae propria est, Isidi. Auctor tamen hujus παρατροπῆς non videtur fuisse Plutarchus, neque etiam aliquis Grammaticus, licet ineptissimus, sed potius vermiculi. Videntur enim ante οἱδὲ Σωθὶ verba nonnulla interiisse, qualia v. c. τὴν δὲ ἐπὶ τῆς γῆς καὶ τῶν φυτῶν (ut aliquam comminiscar opinionem, quae esse

posset librorum Mercurii) *οἱ μὲν Ἶσιν*, ut locus integer hic fere fuisse videatur: *τὴν δὲ ἐπὶ τοῦ πνεύματος οἱ μὲν Ὄσιριν οἱ δὲ Σάραπιν, τὴν δὲ ἐπὶ τῆς γῆς καὶ τῶν φυτῶν οἱ μὲν Ἶσιν, οἱ δὲ Σωθὶ, Αἰγυπστί·* nomen enim Isis videbatur Graecum (vid. *cap.* 60.). Haec igitur Plutarcho saltem non durior est *παρατροπή*, indicare Isidis stellam nomine ipsius.

Affirmatur mea conjectura ab ipso nostro iis quae dicit *pag.* 359 *D*: *τὰς δὲ ψυχὰς ἐν οὐράνῳ λάμπειν ἄστρα, καὶ καλεῖσθαι κύνα μὲν τὴν Ἰσιδος ὑφ' Ἑλλήνων. ὑπ' Αἰγυπτίων δὲ Σῶθιν.*

P. 376 A. *οὐ μὴν ἀλλὰ μᾶλλον ὑφείμην ἂν τοῦ Σαράπιδος Αἰγυπτίοις ἢ τοῦ Ὀσίριδος, ἐκεῖνο μὲν οὖν ξενικόν, τοῦτο δὲ Ἑλληνικὸν κτλ.* Immo *τὸ Σαράπιδος* et *τὸ Ὀσίριδος* sc. *ὄνομα*. Ad Deos enim masculini generis neque *ἐκεῖνο* illud, quod sequitur, neque *τοῦτο* referri potest.

P. 376 A. *Ἔοικε δὲ τούτοις καὶ τὰ Αἰγύπτια. Τούτοις*, quibusnam? Iis scilicet, quae capite LX disputata sunt. Nostro enim capite LXII demonstratur ostendere etiam res atque nomina Aegyptias *τὸ ἀγαθόν* illud versari in rerum motionibus, quemadmodum idem ostendere res atque nomina Graeca, supra demonstraverit capite LX. Caput LXI est, ut ita dicam, intercalare, in quo ut libidini proferendorum etymorum indulgeat, etiam ea vocabula explicat, quorum explicationes a disputationis ratione non exigantur.

P. 376 C. *εἶτ' αὖθις ἀνασχεθεῖσα εἰς ἑαυτὸν ἀνέστρεψε καὶ κατέδυσε εἰς τὴν ἀπορίαν.* Lapis magnes aut attrahit aut depellit. Igitur legendum est *ἀπέστρεψε*. *Ἀπορίαν* varie tentatum est inde a Xylandro, qui legit *ἀπειρίαν*. Ferrum igitur depulsum detruditur in infinitum! Di Boni, quid hoc sit, non intelligo et saltem pro *ἀπειρίαν* dici debuisset *τὸ ἄπειρον*. Sed quidni retineamus *ἀπορίαν*? Ferrum enim movetur a magnete, et postquam magnes movere desiit, residet, quemadmodum a principio Boni, — sic fere noster, — res moventur, postquam hoc vero movere desiit, quia Mali principium obtinet, *καταδύονται*

εἰς τὴν ἀπορίαν. Mali principium ipsum dicitur ἀπορία p. 375 D.

P. 376 D. ἀναλύει τὴν φύσιν καὶ ἀνίστησι διὰ τῆς κινήσεως ἡ γένεσις Immerito Didotiana νικήσεως. Quod omnes concedent, qui disputationis rationem inde a capite LX, quam supra exposui, intellexerint.

P. 377 C. αὐτόθεν ἐκ τῶν προχείρων καὶ συνήθων τὸ πιθανὸν ἕλκοντες. Praeferrem τοῦ προχείρου καὶ συνήθους. Nam non ex rebus, quae in promptu erant, ducebant id cui fidem haberent, sed quod προχεῖρον erat καὶ συνῆθες, hoc ob id ipsum iis videbatur πιθανόν.

P. 377 C. Καὶ δεινὸν οὐδὲν ἂν πρῶτον μὲν ἡμῖν τοὺς θεοὺς φυλάττωσι κοινοὺς, καὶ μὴ ποιῶσιν Αἰγυπτίων ἰδίους, μηδὲ Νεῖλον, ἣν τε Νεῖλος ἄρδει· μόνην χώραν τοῖς ὀνόμασι τούτοις καταλαμβάνοντες, μηδὲ ἕλη, μηδὲ λωτοὺς, μὴ θεοποιΐαν λέγοντες, ἀποστερῶσι μεγάλων θεῶν τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, οἷς Νεῖλος μὲν οὐκ ἔστιν, οὐδὲ Βοῦτος, οὐδὲ Μέμφις. Ἴσις δὲ κτλ. Pro μηδέ illo post ἰδίους et ante Νεῖλον legendum μή (ἵνα μή), ad quod referendum ἀποστερῶσι. Videtur correctorem aliquem offendisse, quod duo conjunctiones μή sic altera in alterius vicinia positae essent. Multo gravius corruptum est μὴ θεοποιΐαν, pro quo fortasse legendum μηδὲ ὁποῖά τινα, λέγοντες. In caeteris delendum μέν post οἷς Νεῖλος. Insertum videtur a Grammatico, qui aegre ferret, quod δέ in Ἴσις δέ, nullum μέν haberet. Est tamen hic hoc δέ illud, quo rei alicujus alienae mentio tanquam in parenthesi continuae disputationi inseritur. Totus igitur locus noster sic verti debet: *et grave nihil fit, dummodo nobis Deos servent communes, neque faciant Aegyptiorum proprios, ne, dum Nilum, quamque Nilus solam rigat regionem nominibus illis comprehendunt, vel paludes, vel lotos, vel alia quaecunque, privent magnis Diis illos alios homines, qui Nilum non habent neque Butum, neque Memphin.*

P. 378 A. καὶ συμβόλοις χρῶνται καθιερωμένοι μὲν, ἀμυδροῖς, οἱ δὲ τρανωτέροις, ἐπὶ τὰ θεῖα τὴν νόησιν ὁδηγοῦντες οὐκ ἀκινδύνως.

Recte Salm.: *καθιερωμένοις, οἱ μὲν ἀμυδροῖς.* Sed praeter hoc *ὁδηγοῦντες* profectum videtur a correctore inepto. Legendum: *ὁδηγοῦσιν.*

P. 378 A. *ἔλαθον αὖθις ὥσπερ εἰς κρημνὸν ἐμπεσόντες τὴν ἀθεότητα* Ultima syllaba vocabuli *ἐμπεσόντες* duplicetur: *ἐμπεσόντες εἰς τὴν δεισιδαιμονίαν.*

P. 378 E. *Καὶ γὰρ Ἀθήνῃσι νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες ἐν Θεσμοφορίος χαμαὶ καθήμεναι. καὶ Βοιωτοὶ τὰ τῆς Ἀχαιᾶς μέγαρα κινοῦσιν, Ἐπαχθῆ τὴν ἑορτὴν ἐκείνην ὀνομάζοντες, κτλ.*

Κινοῦσι tuetur Wytt. loco Porphyrii *de Abst. IV*, 9, *p.* 326 *de accipitre: εἶναι λογικώτατον ἀπολυθέντα τοῦ σώματος, τελεῖν τε ἀγάλματα, καὶ ναοὺς κινεῖν.* Recte ut videtur. Sed immerito accipit «*eo sensu sane frequenti, quo notet, ad rem faciendam accedere, agredi opus*». Videtur enim retinendum esse solita illa significatione *res de suo loco movendi*, qua dicit v. c. Herodotus *κινεῖν ἀνδριάντα* (I. 183). Nam effici posse videtur ex loco nostro, Clementis Alexandrini aliquo et Pausaniae Boeotos tempore verno, cum fruges gignere terra jam inciperet in honorem Cereris, *Ἀχαιᾶς*, exstruxisse, posuisse, aliqua aedificia, quae dicerentur *μέγαρα*, autumno vero, cum jam appropinquaret hiems, in Thesmophoriis, propter Cereris discessum, quae filiam quaereret, luctum egisse, *ἐπαχθῆ τὴν ἑορτὴν ἐκείνην ὀνομάζοντας* (fortasse *νομίζοντας*) *κτλ.*, et *μέγαρα*, quibus jam opus non amplius esset, abstulisse. Locus Clementis est hice (*Admon. ad Gent.* 11 *D*): *βούλει .... διηγήσομαι σοι .... τὰς ὕς τὰς Εὐβουλέως, τὰς συγκαταποθείσας ταῖν θεαῖν; δι' ἣν αἰτίαν ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις μεγαρίζοντες, χοίρους ἐκβάλλουσιν*, ubi recte mutant viri docti *μεγαρίζοντες* in *μέγαρα κτίζοντες*, nisi praestet credere *μεγαρίζειν* a *μέγαρον* esse ductum, quemadmodum *οἰκίζειν* ab *οἶκος*. Quidquid tamen est, comperire videmur a Clemente exstrui solere talia *μέγαρα*, in eaque conjici porcus (legendum, enim *εἰς βάλλουσιν*); atque hoc factum esse apud eum legimus tempore Thesmophoriorum. Hac tamen in re discedit a *Pausania*, qui dicit (*Descriptio Graeciae IX*, 8, 1): *Ἐν χρόνῳ δὲ εἰρημένῳ*

δρῶσι (Boeoti sc.) καὶ ἄλλα ὁπόσα καθέστηκέ σφισι, καὶ ἐς τὰ μέγαρα καλούμενα ἀφιᾶσιν ὗς τῶν νεογνῶν· τοὺς δὲ ὗς τούτους ἐς τὴν ἐπιοῦσαν τοῦ ἔτους ὥραν ἐν Δωδώνῃ φασὶν ἐπὶ * * * λόγῳ τῷδε ἄλλος πού τις πεισθήσεται, in quo in ἐν Δωδώνῃ latere aliquod verbum videtur, quale ἀνατίθεσθαι, — vel aliud, nescio quod, — lacuna explenda verbis, qualia sunt: (ἐπὶ) τῇ φύσει τῶν φυτῶν, et pluribus aliis, quibus aliorum sententia explicatur, qui porcus illos aliam ob causam (*) Cereri consecrari existimarent; quam quidem sententiam noster non probat sed affert tamen εἰ τῷ (etiam haec igitur verba duo lacuna illa interierunt) λόγῳ τῷδε ἄλλος πού τις πεισθήσεται.

Sed satis sic locum Pausaniae intellexeritis. Dicit autem porcus illos in μέγαρα dejectos esse ἐς τὴν ἐπιοῦσαν τοῦ ἔτους ὥραν, non igitur quemadmodum Clemens tempore Thesmophoriorum i. e. mense Pyanepsione. Sed sine dubio hac in re Pausanias praeferendus Ecclesiae patri, qui loco illo tot religiones, quas spernebat, raptim et sine ulla diligentia recenset, quippe qui in iis quae exsecrabat, nec accuratus esse potuerit, nec voluerit (†).

Ex loco igitur Clementis, comperimus exstrui solere illa μέγαρα, in modum aedificiorum subitariorum, quae etiam apud nos festivo tempore exstruuntur; nisi forte melius ea credimus cellas fuisse satis parvas, quae totae portari possent, et nunc expromi, nunc abstuli. Ex loco deinde Pausaniae colligere possumus ea esse exstructa tempore verno. Ex loco tandem nostro Plutarcheo ablata ea esse tempore autumnali, Thesmophoriis. Hoc tamen tantum, dumne illud κινοῦσι mutemus. Quod igitur intactum relinquamus.

(*) Fortasse haec causa illa fuit, quam legimus in loco Clementis, quod Deae scilicet Trochili sues comederint.

(†) Sic v. c. ipso nostro loco in eo etiam minus accuratus est, quod dicit Eubuli sues comesas esse a duabus Diis. Nam quo tempore Ceres, Dea altera, devertebat ad Trochilum Eubuli patrem, ibique epulabatur, alteram Persephonem, filiam nondum invenerat.

P. 379 A. καθ' ἣν δὲ ὥραν τοὺς μὲν ἀπὸ δένδρων ἑώρων ἀφανιζομένους παντάπασι καὶ ἀπολείποντας, οὓς δὲ καὶ αὐτοὶ κατασπείραντες ἔτι γλίσχρως καὶ ἀπόρως, διαμώμενοι ταῖς χερσὶ τὴν γῆν καὶ περιστέλλοντες αὖθις, ἐπ' ἀδήλῳ τῷ πάλιν ἐκτελεῖσθαι καὶ συντέλειαν ἕξειν ἀποθέμενοι πολλὰ θάπτουσιν ὅμοια καὶ πενθοῦσιν ἔπραττον. Recte scribunt τοὺς δέ. Recte Baxter γλίσχρους καὶ ἀπόρους.

Caeterum sententia egit verbo primario. Nam ἔπραττον aeque ac ἑώρων est sententiae relativae. Praeterea cum jam participium ἀποθέμενοι subjungi debeat participiis διαμώμενοι καὶ περιστέλλοντες, satis incommode haec iterum subjunguntur participio κατασπείραντες. Legatur igitur κατέσπειρον ὄντας, quo hoc verbum (κατέσπειρον) in sententia relativa relinquitur, ἔπραττον illud, quo sententia concluditur, inde eximitur. Imperfectum praeterea κατέσπειρον loci rationi, in quo caetera etiam verba imperfecta, optime convenit.

Fruges minutae absconduntur, ut plures resurgant et majores. Quae est sententia illorum: ἐπ' ἀδήλῳ τῷ πάλιν ἐκτελεῖσθαι καὶ συντέλειαν ἕξειν ἀποθέμενοι.

P. 379 F. πᾶσαν ὑπερπέπαικε τερατείαν καὶ μυθολογίαν· In μυθολογίαν nihil reprehensionis. Quidni μισολογία?

P. 380 C. ἐκ δὲ τούτου καταστάντας εἰς πόλεμον, ἀλλήλους τε διέθηκαν κακῶς, καὶ ὕστερον ὑπὸ Ῥωμαίων κολαζόμενοι διετέθησαν· Antea multum mihi placebat Reiskii atque Cobeti conjectura διελύθησαν; *Mnemos.* 1873 *p.* 375. Nunc tamen credo vulgatum retinendum esse: *et ipsae se multis malis affecerunt et postea, cum punirentur, multis malis affectae sunt a Romanis.*

P. 380 D. ὡς δή τινα κολασμὸν ὄντα τοῦ δαίμονος τοῦτον, ἢ καθαρμὸν ἄλλως μέγαν ἐπὶ μεγίστοις.

Τοῦτον offendit. Tota sententia est in accusat. absoluto. Videtur legendum ὄν pro ὄντα, quod conjungatur cum neutro τοῦτο(ν).

P. 381 A. ὥςπερ δοκεῖ τὸν οὐρανὸν ὁ ἥλιος ἐς τοὐνάντιον περιστρέφειν, αὐτὸς ἀπὸ δυσμων ἐπὶ τὰς ἀνατολὰς φερόμενος

Locus male habitus est ab inepto correctore. Nam credidisse aliquem unquam solem verti ab occasu in orientem, et simul cum sole totum coelum, parum probabile est, nec sic explicari potest illud ἐς τοὐνάντιον. Videtur tamen noster hoc dixisse ferri per se (αὐτός) coelum ab Occidente in Orientem, a sole tamen, cum hic in Occidentem vertatur, in partem contrariam (ab Oriente igitur in Occidentem) circumvolvi,— et deinde comparasse cum hoc coelo σφαιροποιουμένην ὕλην, ἣν οἱ ἄῤῥενες τῶν κανθάρων κυλινδοῦσι ἀντιβάδην ὠθοῦντες. Legendum igitur αὐτόν et φερόμενον.

P. 381 C, D. ἡ δὲ ἴβις ἀποκτείνουσα μὲν τὰ θανατηφόρα τῶν ἑρπετῶν, ἐδίδαξε πρώτη κενώματος ἰατρικοῦ χρείαν κατιδόντας οὕτω κλυζομένην καὶ καθαιρουμένην ὑφ' ἑαυτῆς· Verba nihil offendunt; offendit sententia. Nam dum affirmant antiqui paene omnes (vide Wytt. in animadv.) alvum ibin perluere solere rostro inserendo, hic audimus eam perluere alvum interficiendis reptilibus, quod et ab illorum opinione discedit, et per se satis est ridiculum. Nam clisteris usum aliquem docere interficiendis serpentibus ne ipse quidem Hippocrates poterit. Praeterea immerito aliquis crediderit ἀποκτείνουσα disjungi posse ab ἐδίδαξε. Nam hoc et per se durum esset, et vetat ille οὕτω, quod tantum ad participium ἀποκτείνουσα referri potest. Videntur igitur plura excidisse, inter quae fuisse videtur et Indicativus, qui conjungi posset cum Participio ἀποκτείνουσα, et Participium, quod cum Indicativo ἐδίδαξε.

P. 381 F. τὸ μὲν γὰρ ἰσόπλευρον τρίγωνον ἐκαλοῦν' Ἀθηνᾶν κορυφαγενῆ καὶ τριτογένειαν. Docta annotatione animadvertit Wytt. κορυφαγενῆ esse vocabulum nusquam alibi lectum nec annotatum in Lexicis, τριτογένειαν autem explicari ab Eustathio (Iliad. Δ p. 524) hisce: ὡς ἐκ τριτοῦς, ὅ ἐστι κεφαλῆς κατὰ κρῆτας, τῆς τοῦ Διὸς γεγονυῖα. Esse igitur videtur Κορυφαγενῆ glossema alicucus scholiastae, quo explicaretur illud τριτογένεια.

Plutarchus, si quid video, in animo habuit aliud etymon. Credisse enim videtur in vocabuli Τριτογένεια parte prima

inesse numerum ternarium. Loco enim nostro sic pergit: *ὅτι τρισὶ καθέτοις ἀπὸ τῶν τριῶν γωνιῶν ἀγομέναις διαιρεῖται.*

P. 382 A. *ἡ δὲ καλουμένη τετρακτὺς τὰ ἕξ καὶ τριάκοντα, μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται, καὶ κόσμος ὠνόμασται, τεσσάρων μὲν ἀρτίων τῶν πρώτων, τεσσάρων δὲ τῶν περισσῶν εἰς τὸ αὐτὸ συντιθεμένων ἀποτελούμενος.* An igitur *κόσμος ἀποτελεῖται,* conficitur, ex *τεσσάρων ἀρτίων καὶ περισσῶν*? Nihil minus. Probat et res ipsa et numerus *τέσσαρες*, qui etiam in nomine *τετρακτύς* apparet, *ἀποτελούμενος* referendum esse ad *τετρακτύς*. Legatur igitur *ἀποτελουμένη.*

Conficitur tetractys, quando componuntur quatuor primi pares et quatuor primi impares. Noster *de Animae Procr. in Timaeo C. XXX med.* *Ἡ μὲν οὖν ὑπὸ τῶν Πυθαγορικῶν ὑμνουμένη Τετρακτὺς, τὰ ἕξ καὶ τριάκοντα, θαυμαστὸν ἔχειν δοκεῖ, τὸ συγκεῖσθαι μὲν ἐκ πρώτων ἀρτίων τεσσάρων, καὶ πρώτων περισσῶν τεσσάρων κτλ. Θαυμαστόν,* quia ibi appareret divinioris ordinationis aliqua significatio; unde etiam dicta est *τετρακτύς, κόσμος, Mundus.*

P. 382 A, B .... *ἔτι μᾶλλον οἴομαι τὰς ἐν αἰσθομέναις καὶ ψυχὴν ἐχούσαις καὶ πάθος καὶ ἦθος φύσεσι ἰδιότητας κατὰ τὸ ἦθος. ἀγαπητέον οὖν οὐ ταῦτα τιμῶντας, ἀλλὰ διὰ τούτων τὸ θεῖον, ὡς ἐναργεστέρων καὶ φύσει γεγονότων, ὡς ὄργανον ἢ τέχνην ἀεὶ τοῦ πάντα κοσμοῦντος νομίζειν καλῶς. ἄξιόν τε κτλ.* Interpunctione mutanda interpretes verbale *ἀγαπητέον* conjungere studuerunt cum antecedentibus. Hoc tamen quomodo indigere possint sequentia, non perspicio. Vix igitur dubito, quin post *κατὰ τὸ ἦθος* exciderit verbum, quale *θαυμάζεσθαι* vel *θαυμασθῆναι* (Squirius pro *κατὰ τὸ ἦθος, καταθαυμάζειν*) ut hoc dictum sit: *puto etiam illas proprietates secundum fas pro magnis haberi* (*θαυμασθῆναι*) i. e. *secundum fas esse, quod pro magnis habeantur.* Caetera sana videntur, dummodo *καλῶς* tantum virgula disjungas ab *ἀξιόν τε*, et pro hoc legas cum Veneto *ἀξιοῦν τε.* *Ἀεί* ponitur post *τέχνην*, quia ea semper animalia, quae se offerant, quae animadvertantur, haec videntur continuo esse

ὄργανον ἢ τέχνην. Locus sic accipiatur: *Tenendum igitur est non haec* (animalia) *colentes, sed per haec ipsum divinum,— ita ut sint pro clarioribus et naturalibus speculis, — ea recte* (καλῶς) *habere pro instrumento semper et artificio Dei universa ordinantis, atque dignum judicare animatum* etc.

P. 382 D. ἐν χρήσει γὰρ τὰ αἰσθητὰ καὶ πρόχειρα ὄντα πολλὰς ἀναπτύξεις καὶ θέας αὐτῶν ἄλλοτε ἄλλως ἀμειβομένων δίδωσιν. Immo αὐτῶν. Τὰ αἰσθητὰ usu cognoscuntur vel potius se praebent cognoscenda.

P. 382 D. Ἡδὲ τοῦ νοητοῦ καὶ εἰλικρινοῦς καὶ ἁγίου νόησις, ὥσπερ ἀστραπὴ διαλάμψασα τῆς ψυχῆς ἅπαξ ποτὲ θιγεῖν καὶ προσιδεῖν προσέσχε. Recte Bentl. παρέσχε. Immerito tamen et ipse et Marklandus τῇ ψυχῇ. Nam dativus hic durius sic disjungeretur a verbo παρέσχε, nec recte dicitur νόησιν παρέχειν τῇ ψυχῇ προσιδεῖν; ipsa enim νόησις est τὸ ὁρᾶν τῆς ψυχῆς. Videtur igitur legendum τὴν ψυχήν. Animadversio enim τοῦ νοητοῦ recte dicitur in modum fulguris brevissime διαλάμπειν τὴν ψυχήν, et semel tantum, et uno puncto temporis attingendum atque adspiciendum praebere τὸ νοητόν.

P. 382 D, E. ὡς οἱ τὰ δοξαστὰ . . . παραμειψάμενοι, . . . ἐξάλλονται, καὶ θίγοντες ἄλλως τῆς περὶ αὐτὸ καθαρᾶς ἀληθείας, οἷον ἐντελῆ, τέλος ἔχειν φιλοσοφίαν νομίζουσιν. Recte Reiske ὅσοι pro ὡς οἱ. Ultima, varie a variis tentata, emendentur ejiciendo τέλος. Quid sit: οἷον ἐντελῆ ἔχειν φιλοσοφίαν νομίζουσιν, omnes intelligent, qui totum locum legerint. Τέλος fortasse ortum ex τῶν τέλος ἔχειν δοκούντων, quod proxime sequitur.

P. 382 F ἀνθρώπων δὲ ψυχαῖς ἐνταυθοῖ ὑπὸ σωμάτων καὶ παθῶν περιεχομέναις οὐκ ἔστι μετουσία τοῦ θεοῦ πλὴν ὅσον ὀνείρατος ἀμαυροῦ θιγεῖν νοήσει διὰ φιλοσοφίας. Pro ἐνταυθοῖ nemo non leget ἐνταυθί. Ἐνταῦθα (θί) est in hoc mundo vid. *p.* 373 *D.* In caeteris fortasse pro ὅσον legendum ὡς; ortum esset illud ex dittographia primae syllabae vocabuli ὀνείρατος.

P. 383 B. μάλιστα δὲ ταῖς ἱερουργίαις καὶ ταῖς ἁγνείαις καὶ

διαίταις οὐχ ἧττόν ἐστι τουτὶ τοῦ ὁσίου τὸ ὑγιεινόν. Noster sic disputat: viri et semper, i. e. in caetera vita, iis quae propitia sunt sanitati, student, imprimis tamen in rebus sacris. Immerito igitur hoc loco δίαιται illae simul cum ἱερουργίαις et ἁγνείαις caeterae illi vitae opponuntur. Δίαιται enim haud minus sunt vitae communis. quam rerum sacrarum. Attendas praeterea διαίταις egere articulo, quo ἱερουργίαις et ἁγνείαις gaudent.

Διαίταις igitur ejiciatur, nisi praestet legere, καὶ ταῖς ἁγνείαις καὶ ταῖς ἁγίαις διαίταις. Omitti facillime potuit hoc ταῖς ἁγίαις propter illud ταῖς ἁγνείαις, quod praecedit.

P. 383 F. ὑφ' ἧς ὅ, τε ἀὴρ τρεπόμενορ καὶ τὸ σῶμα διὰ τῆς πνοῆς κινούμενον λείως καὶ προςηνῶς, ὑπνοῦται καὶ κρᾶσιν ἐπαγωγὸν ἴσχει, καὶ τὰ λυπηρὰ καὶ σύντονα τῶν μεθημερινῶν, φροντίδων, ἄνευ μέθης, οἷον ἅμματα χαλᾷ καὶ διαλύει. Locus corruptus est, nec in integrum restitutus a Meziriaco, qui legit ὑπνοῦ τε κρᾶσιν. Nam nec ἀὴρ dici potest ὑπνοῦσθαι, nec aliquis intelliget, quid sit ὁ ἀὴρ τρεπόμενος ὑπνοῦται, neque etiam dici potest τὸ σῶμα κρᾶσιν ἐπαγωγὸν ἴσχειν καὶ τὰ λυπηρὰ ἄνευ μέθης χαλᾶν καὶ διαλύειν. Sed videtur ultima syllaba verbi ὑπνοῦται dittographia orta ex sequente conjunctione καὶ, et legendum esse ὑπνοῖ καὶ· Semel tamen sic pro activo posito passivo σῶμα huic tantum esse poterat pro subjecto, atque arctius per τε conjungi debuit cum subjecto altero ἀὴρ. Legatur igitur ὁ ἀὴρ... καὶ τὸ σῶμα.... λείως καὶ προσηνῶς (tollatur virgula) ὑπνοῖ καὶ κρᾶσιν ἐπαγωγὸν ἴσχει κτλ.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΣΩΚΡΑΤΟΥΣ ΔΑΙΜΟΝΙΟΥ.

P. 575 C. τῶν δὲ φιλοτίμων καὶ φιλοκάλων τὸν ὑπὲρ ἀρετῆς ὥσπερ τέχνης μεγάλης ἀπειργασμένον θεατὴν, τὰ καθ' ἕκαστα μᾶλλον εὐφραίνειν, τοῦ μὲν τέλους πολλὰ κοινὰ πρὸς τὴν τύχην ἔχοντος, τοῦ δὲ ταῖς αἰτίαις καὶ τοῖς ** μέρους ἀγῶνας ἀρετῇ πρὸς τὰ συντυγχάνοντα, καὶ τόλμας ἔμφρονας παρὰ τὰ δεινὰ καθορῶντα κτλ. Rectissime Wytt. τὸν δὲ φιλότιμον καὶ φιλόκαλον τῶν ὑπ' ἀρετῆς.... ἀπειργασμένων. Verbis tamen quibus explevit lacunam: (τοῖς) ἐπιγεννήμασι ἀκολουθεῖν ἐφιστάνοντος αὐτὸν τοῖς πράγμασι ὡς παροῦσι, τοὺς γεγενημένους ἐπὶ (μέρους ἀγῶνας ἀρετῇ), interpretari potius voluisse videtur locum, quam emendare. Quis enim unquam tot verba alii tribuet, quae ipse commentus est? Sed haud crediderim interiisse multa verba, et vel ne plura quidem quam unum κατά, ut legi debeat, mutato genitivo μέρους in accusativum, τοῖς κατὰ μέρος. Ejiciendum videtur κοινά, ut dixerit noster: πολλὰ πρὸς τὴν τύχην, *multo, quae secundum fortunam fiunt*; pro καθορῶντα legere vellem κατορθοῦντος. Τὰ κατὰ μέρος convenit cum illo, quod paucis ante dictum est, τὰ καθ' ἕκαστα. Τοῖς κατὰ μέρος esset aeque ac ταῖς αἰτίαις ex dativis illis, qui ad accusativos Graecos, aut accusativos cum κατὰ proxime accedunt. Duobus igitur ablativis absolutis explicatur, cur *partes singulae magis delectent* (τὰ καθ' ἕκαστα μᾶλλον εὐφραίνει), his scil. τοῦ μὲν τέλους πολλὰ πρὸς τὴν τύχην ἔχοντος, et τοῦ δὲ ταῖς αἰτίαις καὶ τοῖς κατὰ μέρος ἀγῶνας ἀρετῇ πρὸς τὰ συντυγχάνοντα καὶ τόλμας

ἔμφρονας παρὰ τὰ δεινὰ κατορθοῦντος: *rei universitatis (conspectu) multa habente, quae forte accidunt, (cognitione) vero causarum et rerum singularum (examinatione) virtuti constituentibus adversus subitos casus certamina et prudentem audaciam in periculis.* Τὸ τέλος illud explicatur per illud τὸ κεφάλαιον αὐτὸ καὶ τὸ πέρας τοῦ πράγματος.

P. 575 D. διέλθέ τε τὴν πρᾶξιν ἥτις ἀπ' ἀρχῆς ὡς ἐπράχθη, καὶ τοῦ λόγου, ** γενέσθαι ** παρόντες· Locus sanus erit, si cum Herwerdeno legeris pro ἥτις, ἡμῖν (*Plutarchea et Lucianea p.* 19) et lacunam sic expleveris cum Wyttenb.: καὶ (τοὺς λόγους) οὓς εἶκος (γενέσθαί) σου (παρόντος) mutato genit. τοῦ λόγου in acc. plur. Animadvertere tamen operae pretium est, quam conjectura haec affirmetur eo quod legimus sub litt. E., ἐπεὶ καὶ σὺ τοὺς λόγους προσπεριβαλέσθαι κελεύεις.

P. 575 D. ἀσχολίας ὑπέρτερον θέσθαι, κατὰ Πίνδαρον. Boeck ad Pind. VI, 82, 91 credit nostra illuc spectare. Immerito; sunt ex Isthm. I. 2.

P. 575 E. δοκεῖν ἀνεγείρειν. Xylander δοκεῖ ἀνεγείρειν. Loci rationi melius convenit δόξειεν ἂν ἀνεγείρειν; ex quo facile illud oriri potuit. Herwerdenus praeferret, quod adscripsit margini mearum animadversionum, δοκοίη ἂν ἀνεγείρειν, quod legibus palaeographicis meo fortasse magis commendatur.

P. 575 E. τὸ κατὰ Βοιωτῶν ἀρχαῖον εἰς μισολογίαν ὄνειδος ἤδη μαραινόμενον παρὰ Σωκράτη τὸν ὑμέτερον· ἡμεῖς δὲ παρὰ δυσὶ τῶν ἱερῶν σπουδάζοντες, οὕτω διεφάνημεν. Wytt. correxit: Σωκράτη τὸν ὑμέτερον, ᾧ ἡμεῖς γε παρὰ δύο τῶν ἑταίρων σπουδάζοντες ὄντως διεφάνημεν; vertit: (*quod crimen per*) *Socratem vestrum* (*jam evanescit*), *cui nos per duos discipulos revera disserendi studiosi visi sumus.* Spectare igitur egregio viro verba haec videntur ad duos illos homines Boeotos, Socratis auditores, Simmiam atque Cebetem, quorum propter exemplum, cum antea Boeoti in crasso aëre nati crederentur, mutari de iis coepta sit opinio Socrate imprimis ipso auctore.

Sed hanc sententiam, licet per se minime ineptam, verba

tamen ipsa, etiamsi mutas, quomodo ipse proposuit Wytt., non admittunt. Nam nudum σπουδάζοντες opponi illi μισολογίᾳ, ut qui non sint μισολόγοι, hi sint σπουδάζοντες, non potest. Figurata significatione verbum hoc, quod sciam, nulla alia absolute ponitur, nisi qua v. c. in *Memor. I*, 3, 18 opponitur verbo παίζειν: τοιαῦτα μὲν περὶ τούτων ἔπαιζεν ἅμα σπουδάζων. Quae tamen, ut apparet, hoc loco minime quadrat. Non enim Boeotis hoc objiciebatur, quod ἔπαιζον nimis, quod nunquam, quemadmodum Hildebrandus, inciderent ludum, nunquam seria loquerentur, — Di Boni, jocosos nimis Boeotos, quam riderent Athenienses,— sed hoc potius quod essent hebetes atque stolidiores. Perhibent praeterea Wyttenbachiana παρὰ Σωκράτη ὄντως eos διαφανῆναι σπουδάζοντας; quasi igitur ante Socratem crederentur tantum videri esse homines σπουδαζόντας, a Socrate tamen inde animadverti coepti sint revera id esse, quod viderentur.

Sed loco plane mederi posse videtur, si pro παρὰ legamus περὶ, pro δυσὶ θυσίας, ut vermiculorum culpa, — quorum in hoc libro permagna est, — interierint duae litterae ας, Locus igitur sic rescribendus est: ἡμεῖς δὲ περὶ θυσίας τῶν ἱερῶν σπουδάζοντες οὕτω διεφάνημεν, *nos autem sic nos ostendimus, dum studio quodam (singulari) agimus in sacrificiorum administratione.* Explicatur his in parenthesi per δέ, cur in illud ὄνειδος incurrerint. Θυσίαις τῶν ἱερῶν recte vertisse mihi videor per: *in sacrificiorum administratione;* legimus enim apud Platonem *de Republ. III*, 394, *A*: ἐν ναῶν οἰκοδομήσεσιν ἢ ἐν ἱερῶν θυσίαις. Pro οὕτω διεφάνημεν fortasse aliquis legere vellet τοιοῦτοι διεφάνημεν, ut intelligeretur μισολόγοι. Sed cum nomen hoc in antecedentibus non diserte expressum sit, spectare nostra ita videntur ad illud τὸ κατὰ Βοιωτῶν ἀρχαῖον εἰς μισολογίαν ὄνειδος, ut sensus fere hic sit: *sic nos ostendimus, ut nos illo convicio compellare coeperint, — ut illis digni videremur, qui illo convicio compellaremur.* Dici hoc potuisset sine dubio multo concinnius, sed quis unquam concinnus in iis, quae

disputationi inculcat, quod a ratione hujus non desideratur?

Fuit illud convicium *Βοιωτία* illa *ὗς*, de qua *Teztes ad Lycophr.* 433—34 (*Edit. Müller II*, *p.* 603) haec habet: *οὐκ οἶδα δὲ ὅθεν καλεῖ τοὺς Θηβαίους Ἐκτῆνας, εἰ μή πως οὕτω φησὶ τοὺς ἐκ κτηνῶν· διεβάλλοντο γάρ ποτε οἱ Θηβαῖοι ὡς κτηνώδεις καὶ ἀμαθεῖς, ὡς καὶ Πίνδαρος πρὸς Χοροδιδάσκαλον Αἰνέαν φησί.* Sequitur versus ex Olymp. VI (89).

. . . . γνῶναί τ' ἐπειτ', ἀρχαῖον ὄνειδος ἀλαθέσιν λόγοις
εἰ φεύγομεν, Βοιωτίαν ὗν·

Ἄλλος δέ τις ἱστορικός (Hecataeus vid. Strab VIII p. 321, et IX p. 401) *φησιν· Ὑαντες ἔθνος βάρβαρον τὰς Θήβας παρώκησαν. Οἱ δὲ ἰδιῶται κατὰ ἰδιωτισμὸν παραφθορὰν τοῦ ὀνόματος ἐποίησαν ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν Ὑας Βοιώτιος ὗς Βοιώτιος λέγοντες.* Ad idem convicium spectat Cratini versus, quem citat Schol. ad Pindari illum locum:

Οὗτοι δ'εἰσὶν Συοβοιωτοὶ κρουπεζοφόρον γένος ἀνδρῶν.

In quo *Συοβοιωτοί* est verbum comicum. Praeterquam tamen in tribus his locis convicium hoc apud antiquiores scriptores nusquam, quod sciam, commemoratur. Nam locum Pindaricum, quem Boeckius adtulit ex Strabone aliisque (Frag. Dith. 9), *Ἦν ὅτε σύας τὸ Βοιώτιον ἔθνος ἔνεπον*, hic vix poetae tribuendus esse videtur, aut saltem non spectare ad nostrum proverbium. Nam proverbium vigebat adhuc tempore Pindari, ut vix uti potuerit imperfecto *ἔνεπον*. Paulo frequentius *Βοιωτίαν ὗν* commemoratum videbis apud scriptores Graecos recentiores, vid. *Boeck ad Pind. VI*, 87. *Erasm. Adag. Chil. I Cent. X. Prov. VI.* Interpretationum illius proverbii duas tantum invenimus, easdem illas, quas legimus apud Tezten.

Sed hae sunt, ut apparet, satis ineptae; jam propter id, quod *ὗς* illa *Βοιωτία* est generis feminini. Jam igitur multo verosimiliorem deprehendisse mihi videor in loco nostro Plutarcheo, eum modo quo feci, corrigendo. Quod autem haec nusquam alibi commemoratur, hoc in locorum tanta paucitate nihil mirum est. Vidimus supra in *Animadversione ad libr.*

de Isid. et Osir. p. 378, *D*, fuisse apud Boeotos aliquod sacrificii genus, ut porcos in μέγαρα abjicerentur; quod fieret in honorem Cereris. Hoc igitur, quia habuisse id videntur singulare, aliis populis videri potuit ridiculum, atque ineptiae documentum, ut illo: Βοιωτία ὗς eos riderent. Βοιωτία ὗς est generis feminini; nam, licet Pausanias loco quem citavi in illa Animad. habeat: τοὺς ὗς τούτους, tamen Cereri, quippe ipsi feminae, sacrificari debuerunt hostiae sexus feminini; vid. *Schol ad Aristoph. Acharn.* 747, 764; *Ran.* 338.

P. 575 E. προσπεριβαλέσθαι. Legendum προσπαραβαλέσθαι, quod est verbum Plutarcheum.

P. 576 D. ἀλλ' ὁρᾷς ὅτι φύσει πρὸς τὸ καλὸν ὑπὸ τῶν νόμων ἀγόμενος, τὸν μέγιστον ὑποδύεται κίνδυνον ἑκουσίως ὑπὲρ τῆς πατρίδος. Nemo unquam ad nihil omnino φύσει ἄγεται ὑπὸ τῶν νόμων, neque fieri potuit, ut Charon ὑπὸ τῶν νόμων ἑκουσίως susciperet periculum. Quod enim agimus ἑκουσίως, hoc agere quidem possumus κατὰ τοὺς νόμους, ὑπὸ τῶν νόμων non possumus. Inserendum igitur videtur ante ὑπὸ adverbium οὐχ, ut dicat Theocritus Charonem fuisse virum philosophiae quidem expertem, natura tamen ad omnia καλὰ ita propensum, ut vi legum eum ad haec adigere necesse non fuerit.

Adumbrasse videtur noster in his Sophistarum aliquam adversum Socratem doctrinam, qua perhiberentur τὰ καλὰ φύσει μὲν ἄλλα εἶναι, νόμῳ δὲ ἕτερα (*Plat. de Leg. X p.* 889 *E;* vide etiam *Gorg. p.* 481 *E, Protag. p.* 337 *C. D*, ubi conferas Heindorf.). Videbantur igitur iis esse quaedam distincta μόρια τῆς ἀρετῆς (*Prot. p.* 349, *C.*), quae singula essent aliquod καλόν (*Prot. p.* 349, *D*. . . τὴν ἀρετὴν καλόν τι φῇς εἶναι). Erant autem haec καλά genera quaedam facinorum ad speciem magnificorum, quae decerent hominem ἐλεύθερον atque magni animi. Sic v. c. in Gorgia (*p.* 346 *B*) καλόν est non pati injurias, οὐ γὰρ ἀνδρὸς ἀδικεῖσθαι, et hic, loco nostro Plutarcheo, μέγιστον ὑποδύεσθαι κίνδυνον ὑπὲρ τῆς

πατρίδος. Contra hos contendebat Socrates virtutem unam esse, eamque non consistere in impetu φύσεως, sed in genere potius quodam ἐπιστήμης. Praeterquam autem legibus scriptis etiam non scriptis vindicabat aliquam auctoritatem (Mem. IV, 4, 12 seq., IV, 4, 19, seq.). Jam igitur illa Sophistaaum opinio optime cadebat in personam Theocriti philophiae paene contemptoris, atque naturalis educationis vindicis.

P. 576 E. ἀμβλὺς ἐστι καὶ ἀπρόθυμος ** τοῦτον ἢ τινα βελτίονα κκῖρον αὐτῷ πεφυκότι καὶ παρεσκευασμένῳ καλῶς οὕτω χρησόμενος. Τοῦτον ἢ ex codice Par. E vel B; alii τοῦτον ἅ vel τοσοῦτον ἅ. Quae sequuntur post τοῦτον ἢ eo spectare videntur, quod Epaminondas, dum conjuratorum consilia sequi nolit, se tamen suo tempore rem acturum occasione meliore pollicitus sit. Jam igitur αὐτῷ mutari debebit in αὑτῷ, ut dicatur Epaminondas se, qualis sit, praestiturum.

Sed jam etiam hoc perspicitur, qualia verba illa lacuna interierint. Legas mihi pro τοῦτον ἢ, τοῦτου δή inseras que ante haec v. c. ὡς πρός, ut totus locus sic rescribatur: ὡς πρὸς τούτου δή τινα βελτίονα καῖρον αὑτῷ πεφυκότι καὶ παρεσκευασμένῳ καλῶς οὕτω χρησόμενος, jam vix dubito, quin plane intelligatur. Videbatur Theocrito illa occasio, quae tunc erat, quam posset, optima; jam igitur dicit cum ironia quadam: *qui scilicet et natura egregie instructus et institutione talem etiam se praestabit occasione hac, quae nunc est, meliore.*

P. 577 F. Ἐπαμεινώνδας δὲ μὴ πείθων, ὡς οἴεται βέλτιον εἶναι ταῦτα μὴ πράττειν, εἰκότως ἀντιτείνει πρὸς ἃ μὴ πέφυκε, μηδὲ δοκιμάζει. Videtur μὴ πείθων a Graeculo homine profectum; pro πέφυκε legatur πέπεικε.

Non enim hoc οὐ πείθει Epaminondas se οἴεσθαι βέλτιον εἶναι ταῦτα μὴ πράττειν, — οἴεσθαι enim hoc Epaminondam nemo nesciebat, — sed potius id ipsum, ταῦτα μὴ πράττειν. Praeterea ipsi jam intellexeritis dicere nostrum sic debiturum fuisse οὐ πείθων. Πρὸς ἃ μὴ πέπεικε explicatur eo, quod sequitur paucis post, ἐπεὶ δ' οὐ πείθει τοὺς πολλοὺς . . . . ἐᾷν αὐτὸν

(sic legendum pro αὐτόν) κελεύει. Optime dicitur ὡς οἴεται βέλτιον εἶναι ταῦτα μὴ πράττειν, εἰκότως ἀντιτείνει πρὸς ἃ μὴ πέπεικε, μηδὲ δοκιμάζει; *quemadmodum praestare putat hoc non facere, sic etiam, quod mirum non est, tendit adversus ea, quorum non auctor exstiterit, neque probet.*

In sequentibus recte Herwerdenus, — quod etiam in margine animadversionum mearum adscriptum vidi, — pro τέμνειν ἢ ἀποκαίειν, τέμνειν ἢ καίειν. Verba p. 577 D: ἐντυγχάνει γὰρ ἰδίᾳ Λεοντίδῃ περὶ Ἀμφιθέου παραιτούμενος μεῖναι τὸ διαπράξασθαι φυγὴν ἀντὶ θανάτου τῷ ἀνθρώπῳ sananda censet ejiciendo μεῖναι τὸ διαπράξασθαι. ἰδίᾳ Λεοντίδῃ debemus Wyttenbachio pro διὰ Λεοντίδην.

P. 577 F. γνῶναι ἐξ αὐτῶν οὐδὲν παρεῖχε. Sc. οὐδὲν παρεῖχε τὰ γράμματα. Legendum, ut saepius in hoc libro pro αὐτῶν ἀυτῶν *Litterae nihil ex se cognoscendum praebebant.*

P. 579 B. Ἑκάστης γὰρ τῶν τεσσάρων πλευρῶν διπλασιαζομένης ἔλαθον τῇ αὐξήσει τόπον στερεὸν ὀκταπλάσιον ἀπεργασάμενοι, δι' ἀπειρίαν ἀναλογίας, ἣ τῷ μήκει διπλάσιον παρέχεται. Lego ᾗ τὸ μήκει διπλάσιον. Praeterea nonnulla interierunt; qualia, intelligetur ex loco Eratosth, (qui exstat apud *Eutoc. ad Archim. de Sph. et Cyl. II*, 2; *edit. Torell. p.* 144.) τῶν γὰρ πλευρῶν διπλασιασθεισῶν, τὸ μὲν ἐπίπεδον γίνεται τετραπλάσιον, τὸ δὲ στερεὸν ὀκταπλάσιον. Itemque ex loco Plat. (Epin. 990 *E*).... περὶ τὸ διπλάσιον ἀεὶ στρεφομένης τῆς δυνάμεως ... ἡ μὲν δὴ πρώτη, τοῦ διπλασίου κατ' ἀριθμὸν ἓν προς δύο κατὰ λόγον φερομένη, διπλάσιον δὲ ἡ κατὰ δύναμιν οὖσα· ἡ δ' εἰς τὸ στερεόν τε καὶ ἁπτὸν πάλιν αὖ διπλάσιον, ἀφ' ἑνὸς εἰς ὀκτὼ διαπορευθεῖσα. Scripsisse igitur videtur Plutarchus: ᾗ τὸ μήκει διπλάσιον ὀκταπλάσιον παρέχεται κατὰ τὸ στερεόν; aut fortasse plenius: ᾗ τὸ μήκει δίπλάσιον τετραπλάσιον παρέχεται κατὰ τὸ ἐπίπεδον, ὀκταπλάσιον κατὰ τὸ στερεόν.

P. 579 C. οὐ γάρ τοι φαῦλον οὐδ' ἀμβλὺ διανοίας ὁρώσης, ἄκρως δὲ τὰς γραμμὰς ἠσκημένης ἔργον εἶναι, καὶ δυοῖν μέσων ἀνάλογον λῆψιν. Pro φαῦλον Didotiana habet φαυλῆς. Recte, ut videtur. Pro καὶ Xylander legit τὴν; voculam ejecit

Didotiana, consilium secuta, ut videtur, Wyttenbachii. Utrumque probare possem, licet Xylandri articulum praeferrem. Id tamen, quod proposuit Wytt. pro *μέσων*, scilicet *μέσον*, quodque Didotiana vel in textum recepit, prorsus rejiciendum est. Omnino retinendum *μέσων*.

Erat enim *ἡ δυοῖν μέσων ἀνάλογον λῆψις* problema mathematicis satis cognitum. Fuit Hippocrates Chius, qui primus quaestionem duplicandi cubi retulit ad aliam, ad *δυοῖν μέσων ἀνάλογον λῆψιν*, ad *inventionem duarum proportionalium mediarum*. Hoc audimus a Proclo *in comment.* (ed. Bas. p. 59. Baroc. p. 121), et ab Eratosthene apud Eutoc. loco citato in annotat. praecedente. Verba Eratosthenis haec sunt: *Τῶν ἀρχαίων τινὰ τραγῳδοποιῶν φασὶν εἰσαγαγεῖν τὸν Μίνω τῷ Γλαύκῳ κατασκευάζοντα τάφον. Πυθομένου δὲ ὅτι πανταχοῦ ἑκατόμπεδος εἴη, εἰπεῖν, μικρόν γ' ἔλεξας βασιλεικοῦ* (*) *σηκὸν τάφου, διπλάσιος ἔστω. . . . . Ἐζητεῖτο δὴ καὶ παρὰ τοῖς Γεωμέτραις, τίνα ἄν τις τρόπον τὸ δοθὲν στερεὸν διαμένον ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι διπλασιάσειεν . . . . Πάντων δὲ διαπορούντων ἐπὶ πολὺν χρόνον, πρῶτον* (†) *Ἱπποκράτης ὁ Χῖος ἐπενόησεν, ὅτι ἐὰν εὑρεθῇ δύο εὐθειῶν γραμμῶν, ὧν ἡ μείζων τῆς ἐλάττονός ἐστι διπλασία, δύο μέσας ἀνάλογον λαβεῖν ἐν συνεχεῖ ἀναλογίᾳ, διπλασιασθήσεται ὁ κύβος· ὥς τε τὸ ἀπόρημα αὐτὸ εἰς ἕτερον οὐκ ἔλασσον ἀπόρημα κατέστρεφεν* (**). *Μετὰ*

(*) Rectissime Herwerd. *βασιλικοῦ*. Peccat enim *βασιλεικοῦ*, ut recte animadvertit, et contra linguam et contra metrum; *μικρόν γ' ἔλεξας κτλ.* enim senarius est.

(†) Herwerd. *Πρῶτος*.

(**) *Δύο μέσαι ἀνάλογον ἐν συνεχεῖ ἀναλογίᾳ* sunt v. c. x et y in:

$$a : x = x : y = y : b.$$

Quibus autem rationibus Hippocrates problema illud duplicandi cubum ad duarum proportionalium mediarum inventionem retulerit, nusquam, quod sciam, a veteribus memoriae proditur. *Bretschneider* (*Die Geometrie und die Geometer vor Euclides* p. 99, cui debeo cognitionem loci Procli, qui tamen ipse videtur ignorasse nostrum ex Eutocio) credit illum hoc effecisse tribus proportionibus multiplicandis, sic fere:

χρόνον δὲ τινά φασιν Δηλίους κτλ. (sequitur eadem narratuncula, quam nostro loco habet etiam Plutarchus).

Erat, quod sciam, certa mathematicorum locuto: δύο μέσαι ἀνάλογον. Vide v. c. l. c. ipsum Eratosthenem, vide Eutocium illum, vide alios. Ἀνάλογον in ea accipiendum adverbialiter; explicatur Platonis hoc ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον, quod in *Phaed.* 110 *D.* (ubi videas Wytt. in edit. p. 307) pro eo posuit Plato. Fortasse melius semper divideretur ἀνὰ λόγον. De hoc tamen certo statuere nihil ausim. Certius affirmare auderem in Vit. Marc. XIV med. pro (τὸ περὶ δύο μέσας) ἀναλόγους (πρόβλημα) legendum esse ἀνάλογον:

$$\begin{array}{c} a : x = a : x \\ a : x = x : y \\ a : x = y : b \\ \hline a^3 : x^3 = a : b. \end{array}$$

Quae tamen ratio, cum nunquam veteres adhiberent Geometricis Aristhmetica (nos diceremus Algebraica) Hippocratis esse non potuit. Agebant semper in talibus geometrice, et quidem plerumque analytice, i. e. ita ut solutam cogitando quaestionem solvendae ejus rationem invenire sperarent. Quocirca ratiocinationes Hippocratis jam fuisse potuerunt v. c. haece.

Duos cogitemus cubos, quorum alter *bis*, *ter*, aut quoties velis (n), capiat alterum. Hos cubos tu tibi cogites lineis descriptas, ipse majorem appellem A^3, minorem a^3. Inveniatur igitur *proportio*, ex qua cognoscatur, quomodo horum *latera* A et a se habeant alterum ad alterum.

Delii superstruendo cubum cubo effecerunt *parallelopipedum*, quod duos caperet cubos minores; potuissent etiam efficere aliquod, quod caperet tres, aut quot vellent (n), dummodo tres, aut quatuor, aut plures, alium alii superstruxissent. Jam igitur talis parallelopipedi *basis* eadem est ac cubi minoris, scilicet *quadratum* a^2, *altitudo* toties major cubi minoris *latere* a, quot minores cubos cubum majorem capere constituisti; valet igitur $2a$, $3a$, na; appellem eam h. Appellem totum parallelopipedum $a^2\ h$.

Eodemmodo facillime cogitari potest *parallelopipedum*, quod *basin* habeat eandem ac cubus major, *quadratum* igitur A^2, quodque eadem sit *altidudine* h, ac parallelopipedum alterum. Appellem hoc $A^2\ h$. Etiam haec parallelopipeda lineis descripta cogites.

Jam igitur est inter haec *par. pipeda* proportio:

Par. piped. $A^2\ h$: *par. piped.* $a^2\ h$ = *quadr.* A^2 : *quadr.* a^2.

Sed *Par. piped.* $a^2\ h$ idem capit ac cubus major A^3. Valet igitur etiam proportio haec:

Par. piped. $A^2\ h$: *Cubus* A^3 = *quadr.* A^2 : *quadr.* a^2.

Sed fuit huic Hippocratis proportioni continuae iniquus valde Wyttenbachius. Nam quam hoc loco plane depravavit, hanc alio vel funditus pervertit. Legimus *Quaest. Conviv.* VIII, 2—1, pag. 718 F, F, *Διὸ καὶ Πλάτων αὐτὸς ἐμέμψατο τοὺς περὶ Εὔδοξον καὶ Ἀρχύταν καὶ Μέναιχμον εἰς ὀργανικὰς καὶ μηχανικὰς κατασκευὰς τὸν τοῦ στερεοῦ διπλασιασμὸν ἀπάγειν ἐπιχειροῦντας ὥςπερ πειρωμένους διαλόγου δύο μέσας ἀνάλογον μὴ παρείκοι λαβεῖν.* Jam igitur ex his delenda censet *ὥςπερ πειρωμένους διαλόγου* et caetera, quae sequuntur, usque ad finem. Quod consilium secuta Didotiana verba haec uncis inclusit. Sed videntur utique retinenda esse et sic etiam problematis illus Hippocratei conservanda commemoratio. Nam verba illa sanari possunt, abscidi non debent. Videtur enim illa syllaba altera voculae *ὥςπερ* dittographia orta ex priore syllaba verbi *πειρωμένους,* et *διαλόγου* dirimendum esse in *δί ἀλόγου.* Hoc autem *δι' ἀλόγου λαβεῖν μέσας ἀνάλογον*, quid sit, plane intelligetur ex loco illo ex *Vita Marcelli C. XIV med.*, ubi de eadem re sermo est, ac hoc nostro ex *Quaest. Conviv.* Illud enim demonstrare quaestiones mathematicas instrumentorum quibusdam apparatibus aut machinis dicitur ibi: *τρέψαι*

Sed etiam *Par. piped.* A^2 *h* et *Cubus* A^3 comparari possunt. Gaudent enim uno eodem *latere A*, ut inter ea haec sit proportio:

Par. piped. A^2 *h* : *Cubus* A^3 = *Parallelogram Ah : quadr.* A^2.

Haec igitur conjungatur cum illa:

Parr.Ah : quadr. A^2 = *quadr.* A^2 : *quadr.* a^2.

Pro *Par. gram. Ah* ponatur *quadrat.*, quod idem capiat; ut latus ejus sit media proportionalis inter lineas *A* et *h;* quae facillime inveniri potest, etiam geometrice, appellem eam *b*. Proportio, in qua haec media est, est *lin. A : lin. b = lin. b : lin h.* Quadratum illud appellem b^2. Evadit igitur illa proportio haec:

Quadr. b^2 : *quadr.* A^2 = *quadr.* A^2 : *quadr.* a^2.

Sed quadratorum proportionalium etiam latera esse proportionalia facillime perspicitur et demonstrari etiam potest geometrice. Jam igitur etiam haec valet proportio *lin. b : lin A = lin. A : lin a.*, cum qua conjungatur illa *lin. A : lin. b = lin. b : lin. h.* (aut: *lin. h : lin. : b = lin. b : lin. A*), ut conjunctae efficiant hance *lin. h : lin. b = lin. b : lin. A = lin. A : lin. a*, in qua latus majoris cubi est altera ex duobus mediis proportionalibus.

τὰ τῆς τεχνῆς ἀπὸ τῶν νοητῶν ἐπὶ τὰ σωματικά, καὶ τὸν λόγον ἀμωσγέπως δι' αἰσθήσεως μίξαντα ταῖς χρειαῖς. Est igitur *δ' ἀλόγου λαβεῖν sumere per corporeum;* p. 566 A vel diserte conjunguntur *τὸ δὲ ἄλογον καὶ σωματοειδές.* Praeterea manifesto etiam corruptum *μὴ παρείκοι,* neque ego sanare potueram. Margini tamen libri mei manucripti adscripsit Herw. *ἢ παρείκοι,* quod non dubito, quin reddendum sit Plutarcho. Totus igitur locus sic rescribendus est: *ὡς πειρωμένους δι' ἀλόγου δύο μέσας ἀνάλογον, ἢ παρείκοι, λαβεῖν: qui scilicet tentarent duas medias proportionales, quantum posset, sumere per corporeum (per id quod ratione caret). Ἢι παρείκοι, quantum possit*, nam plane nunquam successerit.

Hoc igitur Hippocratis problema cognitum jam habuisse videtur Plato, quo tempore eum adierint Delii. Disertis tamen verbis, quod sciam, nusquam apud eum memoratur. Adumbratur tamen sine dubio in verbis hisce ex Timaeo (*c.* 32, *A*, *B*): *εἰ μὲν οὖν ἐπίπεδον μέν, βάθος δὲ μηδὲν ἔχον ἔδει γίγνεσθαι τὸ τοῦ παντὸς σῶμα, μία μεσότης ἂν ἐξήρκει τά τε μεθ' αὑτῆς ξυνδεῖν καὶ ἑαυτήν· νῦν δὲ — στεροειδῆ γὰρ αὐτὸν προσῆκεν εἶναι, τὰ δὲ στερεὰ μία μὲν οὐδέποτε, δύο δὲ ἀεὶ μεσότητες ξυναρμόττουσιν.* Quem locum non plane, quod sciam, interpretes intellexerunt.

P. 580 C. *ὥσπερ τὰ πράγματα πεπνῦσθαι.* Sine dubio cum codic. Par. B et E legendum *πρὸς τὰ πράγματα. Πεπνῦσθαι* est verbum Homericum *sapere, solers esse.* Dicitur igitur Socrates philosophiam, quae antea saperet in rebus aliis, sapere etiam docuisse, quod attineat ad res ipsas, ad vitam communem.

Sed hoc sine dubio non vult nostro loco Galaxidorus. Dixit enim philosophiam ante Socratem *βεβακχεῦσθαι.* Jam igitur legendum videtur pro *πεπνῦσθαι, μίγνυσθαι,* et ante *τὰ* cum B et E legendum *πρός* ut dictum sit philosophiam *adsuefactam esse a Socrate se rebus ipsis, quales revera essent, immiscere,* et tanquam e regionibus fabularum in vitam ipsam descendisse. *Μίγνυσθαι πρὸς* legitur v. c *p.* 433 *A.*

μιχθεῖσα πρὸς ἀέρα, et 474 *A* ὁ πᾶσι χρῆσθαι καὶ μιγνύναι πρὸς τὸ οἰκεῖον ἐπιστάμενος.

P. 580 F. οὐχὶ τῆς κοινῆς μόριόν τι ἀνάγκης τὸν ἄνδρα πείρᾳ βεβαιωσάμενον, ἐν τοῖς ἀδήλοις καὶ ἀτεκμάρτοις τῷ λογισμῷ ῥοπὴν ἐπαγεῖν; In loco haeserunt Reisk. et Wytt. Legerunt ἀγχινοίας. Immerito. *Sagacitas* enim non est res communis.

Sed fuit omnibus κοινὴ secundum opinionem nonnullorum δύναμις quaedam μαντική; quorum sententiam noster explicavit in libro *de Def. Orac. c.* 39 *et* 49 (*p.* 431 *D* seq.). Credebant scl. τὰς ψυχὰς illam δύναμιν (diserte haec appellatur μαντικὴ δύναμις *p.* 432 *A.*) ἀεὶ μὲν ἔχειν, ἔχειν δὲ φαυλότερα τῷ σώματι μεμιγμένας, καὶ τὰ μὲν ὅλως ἄδηλα καὶ κεκρυμμένα, τὰ δὲ ἀσθενῆ καὶ ἀμαυρά, καὶ τοῖς δι' ὁμίχλης ὁρῶσιν ἢ κινουμένοις ἐν ὑγρῷ παραπλησίως δύσεργα καὶ βραδέα καὶ πολλὴν ποθοῦντα θεραπείαν τοῦ οἰκείου καὶ ἀνάληψιν, ἀφαίρεσιν δὲ καὶ κάθαρσιν τοῦ καλύπτοντος (431, *F.*).

Nostro igitur loco pro *ΑΝΑΓΚΗ* legendum est *ΜΑΝΤΙΚΗ*. Non habuit Socratis daemonium, — hoc interrogando affirmat Galaxidorus, — ἰδίαν δύναμιν, sed habuit tantum μόριόν τι τῆς κοινῆς μαντικῆς δυνάμεως. Hoc tamen in eo videbatur esse aliquid singulare, quia adhiberet ei illam θεραπείαν; quae θεραπεία in eo constaret, quod πείρᾳ id, *experientia*, (vid. *p.* 399 *E*, πολλὰ τῆς πείρας ἐνέχυρα δίδωσι) corroboraret.

P. 581 A. ὡς γὰρ ὁλκὴ μία καθ' ἑαυτὴν οὐκ ἄγει τὸ ζυγόν, ἰσορροποῦντι δὲ βάρει προστιθεμένη κλίνει τὸ σύμπαν ἐφ' ἑαυτήν· οὕτως ἐφαρμόσει κληδὼν ἤ τι τοιοῦτον σύμβολον.** καὶ κοῦφον, ἐμβριθῆ διάνοιαν ἐπισπάσασθαι πρὸς πρᾶξιν· δυοῖν δ' ἐναντίων λογισμῶν θατέρῳ προσελθὼν ἔλυσε τὴν ἀπορίαν κτλ. Herw. ὡς γὰρ ὁλκὴ μικρὰ καθ' αὑτὴν οὐ κατάγει τὸν ζυγόν. Didot. pro προσελθών, προσελθόν. Caetera satis obscura. Wytt. corrigit ἐφαρμόσει et explet lacunam hisce: οὕτως οὐκ ἀρκέσει κληδὼν ἤ τι τοιοῦτον σύμβολον, (καθ' αὑτὸ μικρὸν ὄν) καὶ κοῦφον. Praeferrem pro ἐφαρμόσει legere ἐφ' ἑαυτῆς et lacunam expletam cogitare verbis, qualia ἀδύνατόν ἐστι μικρὸν ὄν (καὶ

κοῦφον); *sic per se clamor aliquis, vel aliud aliquod signum non potest, quia parvum est et leve, gravem animum incitare ad actionem.* Opponitur igitur σύμβολον, quod alicui rei προςῆλθε, ei quod sit ἐφ' αὑτῆς, quemadmodum etiam ὅλκη, quacum comparatur, aliud agere dicitur καθ' αὑτὴν, aliud alii ponderi προςτιθεμένη.

P. 582 A. οὐδεμιᾶς γὰρ τέχνης καταφρονεῖται τὸ μικροῖς μεγάλα καὶ δι' ὀλίγων πολλὰ προμηνύειν. Legendum καταφρονῆσαι: *nullius enim artis est spernere.*

P. 582 B. εἶτα φανῆναι ὅμοιόν τι μηνύειν καὶ καταλέγειν ἐκείνῳ τῷ ἱστορικῷ τούτων ἕκαστον, κτλ. Wyttenbachii φαίη δαιμόνιόν τι commendatur litterarum similitudine, qua cum illo φανῆναι ὅμοιόν τι convenit, a ratione tamen loci totius reprobatur. Non enim hoc dicere voluit noster: *aeque ridicule creditur daemonium res significare singulis litteris, ac singulis signis vaticinis,* sed comparavit potius imperitiam eorum, qui crederent signa vaticina non vaticiniorum indicia esse, sed ipsa per se vaticinia, cum imperitia aliorum, quibus ipsis singulis litteris enarrari historiae viderentur.

Sed etiam ὅμοιόν τι parum placet. Non enim credebant omnibus litteris singulis simile aliquod significari. Est tamen etiam haec lectio ex conjectura profecta. «Dedit eam Steph. ex Schott. Leonic. Anon. pro veteri ὀμύοντι, quod est in Ald. Bas. Xyl.» (Wyttenb.). Libri B et E habent ὀμνύοντι. Est hoc quidem monstrum, sed tamen, si quid video, veram lectionem continet. Nonnunquam enim, imprimis apud nostrum, verbi alicuius tantum pars litterarum erasa est. Hic igitur φανῆναι ὀμύοντι vel ὀμνύοντι inde ortum esse videtur, quod vocabuli partim erasi litteris superstitibus falsae interpositae sint. Superstites fuisse videntur litterae φαιηοιυοντι, his tamen interpositis ν et μν ipsisque nonnihil immutatis ortum esse inde: φανη(ν)αι ο(μν)υοντι. Sed videntur potius interiisse duo τ; ut legi debeat φαιη (τ)οιου(τ)οντι, φαίη τοιοῦτόν τι. Locus igitur sic intelligatur: *deinceps diceret tale quid id esse, quod a singulis litteris significaretur.* Spectat, ut apparet,

τοιοῦτόν τι ad πολέμους μεγάλους illos et πράξεις καὶ παθήματα βασιλέων.

P. 583 D. Καὶ μὴν ἐγώ, εἶπεν, ὦ πάτερ, ταύτῃ μόνῃ τὴν οἰκίαν ἐδεδίειν ἁλώσιμον ὑπὸ χρημάτων εἶναι κατὰ τὸ Καφεισίου σῶμα κτλ. Ταύτῃ accipiendum est adverbialiter et pro μόνῃ legendum μόνον. Videtur illud μόνῃ profectum a grammatico, qui ταύτῃ spectare crederet ad nomen aliquod, quale φιλαργυρία, quod quidem in antecedentibus non exstat, facillime tamen mente inde elici posset.

Sed ridicule sic supervacaneum esset ὑπὸ χρημάτων, nec fuit Epaminondae sententia domum suum a nihilo capi posse, nisi a pecuniae cupiditate, sed haec potius in eo tantum (ταύτῃ μόνον) pecuniae cupiditate eum capi posse, quod accipere pecunias cuperent propter amorem Caphisiae, hunc ut pulchris vestimentis exornare possent et copiosius nutrire. Cum tamen ipse Caphisias divitias sperneret, etiam hoc ne fieret, metus nullus erat.

Pro κατὰ igitur legendum καθ' ἃ, vel potius καθ' ὅ, vel καθ' ὅτι.

P. 584 C. ἀλλ' ὥσπερ ἄλλου τινὸς ἐγὼ καὶ πλούτου χάριν τε καὶ κτῆσιν εἶναι νομίζω, τὴν μὲν αἰσχρὰν, τὴν δὲ ἀστείαν. Ὥσπερ indiget demonstrativo, ad quod spectet. Praeterea ridicule Epaminondas per pron. pers. ἐγώ se ipsum praedicat praeter omnes fere homines sententiae illius auctorum. Quocirca pro ἐγώ legendum esse arbitror οὕτω. Eraso enim υ caeteras litteras scioli, ut videtur, conjunxerunt. *C* et *O*, *T* et *Γ* sexenties permutantur.

P. 585 A. Ἄσκησιν δὲ καὶ μελέτην μετὰ ἐγκρατείας, οὐχ ᾗπερ ἔτι νῦν ἐφείλκυσθε πάντες ὑμεῖς, ὅταν γυμναζόμενοι καὶ κινήσαντες, ὥσπερ ζῶα, τὰς ὀρέξεις. Recte ejicit Wytt. μετά. Optime dici potest ἄσκησις καὶ μελέτη ἐγκρατείας; sic paucis ante dictum est τὸ ἀπέχεσθαι τῆς ἐγκρατείας. Recte etiam legit pro ᾗπερ ἔτι νῦν ἐφείλκυσθε ἥνπερ ἔτι νῦν ἐπιδείκνυσθε.

Locus sic accipiendus. Theanor erat ex Pythagoraeis; ὑμεῖς igitur sunt Pythagoraei. Jam hoc fere dicit Epaminondas:

An igitur tu exercitationem et meditationem non eam esse putas, quam vos omnes (antiquum praeceptum Pythagorae sequentes) etiam nunc ostendere soletis, quando vos excercentes excitatis appetitus, tanquam animalia (feras), iis tamen nihil indulgetis.

P. 585 C. ᾧτινι μὴ πορρῴωθεν ἐνδέδωκε καὶ κεκόλασται τὸ φιλοκερδὲς, ἄλλαις ἔξεστιν ἀναίδην εἰς τὸ κερδαίνειν ἀνατεθραμμένον, ὁ γὰρ σπαργᾷ περὶ τῆς ἀδικίας μάλα μόλις καὶ χαλεπῶς τοῦ πλεονεκτεῖν ἀπεχόμενον. Rectissime Didotiana ἀλλ᾽οἷς ἔξεστι ἀνέδην. Pro ὁ γὰρ legit Wytt. ὅταν. Immerito. Videtur ejiciendum; ortum enim dittographia ex sequente σπαργᾷ. Locus sic accipiendus· *ei cui non a longo inde tempore lucri faciendi cupiditas coercita sit, sed (haec) cum iis, quae licent, ad lucrum faciendum enutrita sit, etiam in iis quae non licent, valde turget.* Fortasse tamen ἀλλ᾽οἷς..... ἀμπεχόμενον melius ab antecedentibus secernitur interposita distinctione majore; sic: τὸ φιλοκερδές· ἀλλ᾽οἷς κτλ.

P. 585 F. ὁπῶς ἐκεῖ μεταλάχῃ τῶν νομιζομένων. Legendum οἴκοι. Ἐκεῖ enim referri deberet ad Κρότων, cujus mentio nusquam in antecedentibus exstat, neque subest verbis. Erant praeterea amici Lysidis, quo tempore deliberabant, Crotone. Quocirca haec urbs, quamquam Theanor eorum verba refert Thebis, paene non indicari potuit per ἐκεῖ. Οἴκοι optime opponitur illi ὡς ἐπὶ τῆς ξένης.

P. 585 F. ἀνακαλούμενος τὴν Λύσιδος ψυχὴν κατελθεῖν. Cobetus (Mnemos. 1873 p. 382) pro κατελθεῖν, κάτωθεν ἐλθεῖν; quia manes ex inferis κάτωθεν adscenderent.

Immerito. Aetate enim Plutarchi mortuorum animos descendere ad inferos non amplius credebatur ab omnibus, neque etiam ab ipso Plutarcho, qui regiones illas coelestes, ubi animi post mortem degerent, vel accuratius descripsit in libro nostro *c. XXII*, in libro *de Ser. Num. Vind. item c. XXII*, et in *Quaest. Conviv. libro IX, p.* 740 *C*, ubi explicatur Platonis ille mythus de Here Armenio (*de Rep. X p.* 614 *seq.*). Sic v. c. in loco illo ex *de Ser. Num. vind.* videt Thespesius

ille τὰς ψυχὰς τῶν τελευτώντων κατώθεν ἀνιούσας. Sed, ut comperimus ex mytho illo Platonico et ex Plutarchi explicatione, — ubi haec fere legimus: ἀπαλλαγεῖσαι δὲ (αἱ ψυχαὶ) συμφέρονται πανταχόθεν εἰς τὸν ἀέρα· κἀκεῖθεν αὖθις ἐπὶ τὰς δευτέρας γενέσεις τρέπονται,— descendebant illae animae iterum in terram ad δευτέρας γενέσεις, atque igitur quod Theanor frustra ἀνεκαλεῖτο Lysidis animam κατελθεῖν, hoc inde erat explicandum, — quam rem comperimus paucis post ab ipsa illa voce, quae pro eo loquebatur, — quod ἡ ψυχὴ Λύσιδος ἤδη κεκριμμένην ἀφεῖτο προς ἄλλην γένεσιν.

P. 587 C. ἀσήμους δὲ φωνὰς ἐκφέρεσθαι παρ' ἡμῶν, ὥστε κἂν εἴ τις ἐπιχειρῇ κατηγορεῖν περὶ φωνῆς, ἵν' ἀσαφῆ καὶ τυφλὴν ὑπόνοιαν ἡ πρᾶξις λαβοῦσα μόνον, ἅμα καὶ φανήσεται καὶ κρατήσῃ. Ab interpretibus versa quidem, sed non intellecta. Vertunt enim ἀσήμους δὲ φωνὰς ἐκφέρεσθαι παρ' ἡμῶν hisce: *voces autem a nobis excivisse obscuras*, quamquam Hypatodoro non homines visi erant vocos emittere, sed domus (vid. *p.* 587 *A*). Sed manifesto locus sic accipiendus est: *quod obscurae fuerunt voces, quae exiverunt, hoc a nobis est, favet nobis.* Fortasse tamen ex sequente ὥστε exciendum ἔστι; — παρ' ἡμῶν ἐστι, ὥστε κτλ.

Caetera satis corrupta. Pro κρατήσῃ recte Didot. κρατήσει; Sed parum prodest, quod Wytt. pro ἵν' legit ἡμῶν, alius quidam ἡμῖν, Reiskius conjungit cum antecedente, et hoc cum περὶ, ut legat περιφώνησιν. Videtur legendum: φωνήν τινα ἀσαφῆ [καὶ] τυφλὴν κτλ. accusativo φωνήν posito pro genitivo, inserto τ ante ιν, duplicato α verbi ἀσαφῆ, ejecto καί. Jam haec sententia est: *quod autem obscurae domo exiverunt, hoc est a nobis, scilicet ita ut, etiam si quis ex incerta quadam voce petat accusandi materiem, actio tamen statim superveniens, cum habeat tantum coecam suspicionem, simul et apparebit et obtinebit.* De περὶ φωνήν vide quae de praepositione περί annotavi ad *p.* 352 *B*, libri *de Iside et Osir.* Non dicitur conari aliquem κατηγορεῖν φωνήν, sed φωνή praebere accusandi ansam.

P. 589 A. ἅμα τῷ τὴν ψυχὴν ἐννηστείᾳ βαλέσθαι, καὶ πρὸς αὐτὸ κινῆσαι τὴν ὁρμὴν κτλ. Wytt. ἐννοήματός λαβέσθαι vel ἐν νῷ τι βαλέσθαι. Immerito. Docet Plutarchus in hoc capite τὸν τοῦ κρείττονος νοῦν (vel τοὺς κρείττονας) τῷ νοηθέντι θιγγάνειν (θυράθεν ἐφάπτειν) τοῦ νοοῦντος, quod in τῇ ψυχῇ sit, in quodque desinant appetitiones, atque ψυχὴν postquam ejus νοοῦν νοηθέντι illo adtactum sit, ῥοπὴν λαβοῦσαν πρὸς τὸ νοηθέν κινεῖσθαι. Jam tu vides νηστείᾳ illud ortum esse ex superstitibus litteris participii ν(ο)ηθε(ντ)ι. Grammaticus aliquis pro νηθει scripsit νηστειᾳ et praeposuit dativo, quem finxerat, praepositionem ἐν. Sed sequens αὐτό ad nomen hoc generis feminini referri non potest; potest ad meum νοηθέντι.

P. 589 A. Οὐδὲ ὁ τῆς κινήσεως καὶ συνεντάσεως καὶ παραστάσεως τρόπος χαλεπός, ἢ παντελῶς ἄπορος συνοφθῆναι, καθ' ὃν ἡ ψυχὴ νοήσασα ἐφέλκεται ταῖς ὁρμαῖς τὸν ὄγκον, ἀλλ' ἐν ὅσῳ μάλα δίχα φωνῆς ἐννοηθεὶς κινεῖ λόγος ἀπραγμόνως, οὕτως οὐκ ἄν, οἶμαι, δυσπείστως ἔχοιμεν ὑπὸ νοῦ κρείσσονος νοῦν καὶ ψυχῆς θειοτέρας ἄγεσθαι θύραθεν ἐφαπτομένης, ᾗ πέφυκεν κτλ. Rectissime pro οὐδὲ Didotiana Ὁ δὲ et Herwerd. (*Plut. et Luc. p.* 20) pro συνεντάσεως συντάσεως. Pro παραστάσεως legendum ἀναστάσεως; dicitur enim paucis ante ὁ ὄγκος φέρεσθαι πρὸς τὴν πράξιν ἀναστὰς καὶ συνταθείς. In nostris legendum est pro ὑπὸ νοῦ κρείσσονος νοῦν hoce: ὑπὸ τοῦ κρείσσονος νοῦ. Perhibetur enim hoc capite τὸν τοῦ κρείσσονος νοῦν ἄγειν τὴν εὐφυᾶ ψυχὴν, ἐπιθιγγάνοντα τῷ νοηθέντι (*p.* 588 *E*). Universe autem movetur animus λόγῳ, — ἄν τις ἅπτηται (αὐτῆς) κατὰ λόγον, — et statim postquam animus motus est, moles quoque corporis inde *movetur* et *contenditur* et *surgit*. *Modus tamen*, (jam verto), *hujus motionis*, *contentionis et excitationis*, *quo animus postquam intelligens factus est*, *trahit secum corpus per appetitus*, *aut difficile conspicitur*, *aut plane conspici non potest; sed quemadmodum* (*universe*) *nullo negotio corpus movetur a concepta cogitatione* (λόγῳ) *etiam*

sine vocis auxilio, sic, ut opinor, facile concesserimus moveri etiam (corpus) a mente naturae praetsantioris et anima diviniore, quando haec adtingit eam in eo, ubi cogitatio (λόγος) *cogitationi ansam praebet.*

P. 589 B. *Τῷ γὰρ ὄντι τὰς μὲν ἀλλήλων νοήσεις οἷον ὑπὸ σκότῳ διὰ φωνῆς ψηλαφῶντες γνωρίζομεν· αἱ δὲ τῶν δαιμόνων φέγγος ἔχουσαι, τοῖς δυναμένοις ἐλλάμπουσιν, οὐ δεόμεναι ῥημάτων οὐδὲ ὀνομάτων, οἷς χρώμενοι πρὸς ἀλλήλους οἱ ἄνθρωποι συμβόλοις εἴδωλα τῶν νοουμένων καὶ εἰκόνας ὁρῶσιν, αὐτὰ δὲ οὐ γιγνώσκουσι, πλὴν οἷς ἐπεστι ἴδιόν τι καὶ δαιμόνιον, ὥσπερ εἴρηται, φέγγος.* Est illud *ψηλαφᾶν ὑπὸ σκότῳ* ex Platone, qui habet *ψηλαφᾶν ἐν σκότει* (*Phaed.* 99 *B*). Caetera, etiamsi cum Herwerdeno (*Plut. Luc.* 20) pro *δυναμένοις* legas *δαιμονίοις*, aut post *δυναμένοις* inseras verbum, quale *γιγνώσκειν*, *συνίεναι*, explicari non possunt. Homines enim dicuntur, dum utantur *verbis* atque *nominibus*, videre quidem cogitationum quasdam imagines, ipsas tamen cogitationes paucos tantum intelligere; i. e. plerosque homines sonitum quidem verborum accipere, eorum tamen ipsum sensum non intelligere; — dico verborum sonitum, nam non videmus eorum *εἴδωλα* vel *εἰκόνας*, saltem eas non videmus loquentes. Mutat jam Herwerd. *αὐτὰ* in *αὐτάς*, quod referatur ad *τῶν δαιμόνων νοήσεις*. Etiam hoc tamen parum placet. Sic enim dictum foret: *geniorum cogitationes divinis viris affulgent, ipsae tamen ab iis* (*a viris divinis*) *non animadvertuntur, nisi quidam iis est divinus splendor, i. e. nisi sunt divini*, aut saltem, si pro subjecto naturali verbi *γιγνώσκειν* arcessere velis aliquod ex sententia relativa, scilicet *οἱ ἄνθρωποι*, hoc fere: *geniorum cogitationes divinis viris affulgent, ab hominibus tamen [autem] non animadvertuntur, nisi quidam iis est divinus splendor, i. e. nisi sunt divini.* Quod tamen vix a Plutarcho dictum esse credam. Sed etiam, ut dixi, illud *τοῖς δαιμονίοις* displicet. Adjunctum esse debuisset *ἀνδράσι*. Non enim in antecedentibus sermo est de variis virorum generibus, quibus genus hoc *τῶν δαιμονίων* opponi possit, neque etiam

est, quod sciam, *οἱ δαιμόνιοι* certi cujusdam hominum generis a linguae usu recepta adpellatio. Sed locus, si quid video, depravatus est ab inepto correctore. Refingendus videtur sic: *αἱ δὲ τῶν δαιμόνων φέγγος ἔχουσαι τοῖς δαιμόσι ἐλλάμπουσι, οὐ δεομένοις [ῥημάτων οὐδ' ὀνομάτων] προς ἀλλήλους οἷς χρώμενοι οἱ ἄνθρωποι συμβόλοις εἴδωλα τῶν νοουμένων καὶ εἰκόνας ὁρῶσιν, αὐτὰ δ' οὐ γιγνώσκουσι*, ut postquam dictum sit, quomodo homines cum hominibus cogitata communicent, pergat explicando, quomodo hoc fiat inter genios. *Geniorum cogitationes*, jam verto, *cum habeant splendorem quendam affulgent geniis, quibus inter se non opus erat iis signis, quibus homines cum utantur, tantum cogitatorum simulacra et imagines vident, ipsa cogitata non animadvertunt, nisi est iis peculiaris quidam et divinus splendor.* Jam igitur genii intelligebant geniorum cogitationes ipso harum *δαιμονίῳ φέγγῳ*, homines, quibus peculiare erat et *δαιμόνιον φέγγος*, eas percipiebant adjumento *τῶν συμβόλων*, caeteri tantum animadvertebant *σύμβολα*, cogitationes ipsas non percipiebant. Erant autem haec symbola, ut vidimus supra (*p.* 588 *C et E.*), *φθόγγοι*, *voces*, *κλῆδονες* v. c. vel *πταρμοί* (*vid. p.* 581 *A seq.*), qui alicui videri possent (*vid. p.* 581 *A, B.*) per se esse vaticinia. Videtur corrector ille inseruisse illud *ῥημάτων οὐδ' ὀνομάτων*, ut verbum *δεομένοις* haberet genitivum. Non animadvertit, ut videtur, genitivum hujus verbi in sententiam relativam translatum esse, ibique in dativum mutatum (*συμβόλοις*). Illis tamen *ῥημάτων οὐδ' ὀνομάτων* semel insertis debuit etiam *πρὸς ἀλλήλων* in locum alium transferri, et mutari; *δαιμόσι* mutavit hoc in *δυναμένοις*, intelligens *δυναμένοις γιγνώσκειν*.

P. 589 C. *εἰ καὶ κατὰ τοῦτο τὸ νοηθὲν ὑπὸ τῶν ἀμει ** ὁ ἀὴρ κτλ. Τὸ νοηθέν*, ut videtur, insertum, ut *τοῦτο* haberet substantivum. Ejiciatur. Pro ipso tamen *τοῦτο* cum Wytt. legendum *ταὐτό*. Lacunam explevit Wytt. per (*ἀμει*) *νόνων ψυχῶν*. Cur *ψυχῶν*? Paucis ante (*p.* 588 *D.*) dicit noster *τῶν κρεισσόνων* absolute.

P. 590 D. πολλαχῆ δὲ καὶ ὑπερχεῖσθαι, καὶ ἀπολιπεῖν αὖθις οὐ μεγάλας ἐκβολὰς λαμβάνουσαν. Ponas haec loco suo post ἐπιμιγνυμένοις. In nostrum ea transtulit scholiastes, cui πολλαχῆ δέ non posse videretur non respondere illi πῆ μέν. Sed intelligitur parum concinne dici: Εἶναι δὲ τῆς θαλάσσης πῆ μὲν πολὺ βάθος κατὰ νότον, μάλιστα δ' ἀραιὰ τενάγη καὶ βραχέα, πολλαχῆ δὲ ὑπερχεῖσθαι: *esse autem illius maris in locis nonnullis satis magnam profunditatem, imprimis tamen (ejus esse) exilia et brevia vada, sed multis in locis (id mare) superfluere.* Contra aptissime dicitur: ..... λίμνην ὑποκεχύσθαι τοῖς χρώμασι διαλάμπουσαν διὰ τῆς γλαυκότητος ἐπιμιγνυμένοις, πολλαχῆ δὲ καὶ ὑπερχεῖσθαι, καὶ ἀπολιπεῖν αὖθις οὐ μεγάλας ἐκβολὰς λαμβάνουσαν Mare igitur, quod insulis suffusum erat, hic illic eas superfluebat, sed fluctus qui littoribus injiciebantur, recedebant iterum (fortasse εὐθύς, *statim*), quia minores.

Dubito de καὶ βραχέα. Τενάγη enim, quae τῆς θαλάττης μάλιστα erant, ut mare in locis tantum nonnullis profundum esset, — vix esse poterant βραχέα. Praeterea etiam illud πολὺ βάθος κατὰ νότον parum placet; dici debuisset πολὺ τὸ βάθος. Fortasse pro κατὰ ΝΟτον legendum καταΔΥτόν: *maris erat magna submersa altitudo.*

P. 590 E. τῶν δὲ ῥοθίων τὰς νήσους ἅμα περαινομένας ἐπανάγειν. Haec nemo facile interpretabitur. Immo legendum περιαγομένας ἐπαναγόντων: *fluctibus insulas, cum simul circumducerentur, ad locum unde progressi erant, reducentibus.*

P. 590 E. τὰς ἐπιβολάς. Haud recte redditur per *conversiones.* Ἐπιβάλλεται circuli finis initio, ut ipse hic conficiatur.

P. 590 E. Τούτων δὲ πρὸς τὸ μέσον μάλιστα τοῦ περιέχοντος καὶ μέγιστον ἐγκεκλίσθαι τὴν θάλασσαν ὀλίγῳ τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ παντὸς ἔλαττον κτλ. Offendunt in hisce duo genetivi Τούτων et τοῦ περιέχοντος; offendit etiam, quod mare hic inclinare dicitur versus rei alicujus (hic coeli) partem maximam; inclinare enim solemus versus aliquod punctum. Offendit, quod mare dicitur *praecipue*, non *plane* igitur, inclinare versus medium

coeli et maximam partem; quorsum enim alio inclinabat praeterquam versus hanc? Locus igitur explicari non potest; versionem enim: *harum ad medium maxime ambientis inclinatum erat mare, paulo minus octava Universi parte*, etc., nemo probabit. Sed videtur etiam hic male habitus esse a correctore inepto, qui ut καὶ μέγιστον conjungi posset cum τὸ μέσον, τοῦ περιέχοντος inculcaverit. Hoc igitur si sustuleris, omnia sana erunt. *Versus medium igitur circiter harum insularum mare vel pro maxima parte inclinabat, et quidem pro parte paulo tantum minore, quam octavae nonae totius* (τοῦ παντός). Accuratius sic quidem verti quam elegantius, sed vos ignoscatis. Fortasse inculcatum etiam illud τοῦ παντός. Octavae nonae partes maris intra insulas erant; inclinabant hae versus medium earum *circiter*, non *plane*, quia non conficiebant perfectum circulum; ἐποίουν enim ἕλικα.

P. 591 C. Λαμβάνεται δὲ ἅπαξ ἐν μέτροις δευτέροις ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἕπτα. Explicavi haec in annot. ad librum de *Isid. et Osirid. p.* 363 *A*.

P. 591 D. πῇ δὲ ἔλιπον ἐξω τὸ καθαρώτατον, οὐκ ἐπισπώμενον, ἀλλ' οἷον ἀκρόπλουν ἐπιψαῦον ἐκ κεφαλῆς τοῦ ἀνθρώπου, καθάπερ ἐν βυθῷ δεδυκότος ἄρτημα κορυφαῖον ὀρθουμένης περὶ αὐτὸ τῆς ψυχῆς ἀνέχον, ὅσον ὑπακούει καὶ οὐ κρατεῖται τοῖς πάθεσι. Nemo crediderit Plutarchum dixisse τὸ καθαρώτατον οὐκ ἐπισπᾶσθαι, sed *veluti* ἀκρόπλουν ἐπιψαύειν ἐκ κεφαλῆς τοῦ ἀνθρώπου, *veluti* ἄρτημα κορυφαῖον, quod ἀνέχει ὅσον .... οὐ κρατεῖται τοῖς πάθεσι. Incommode etiam substantive ponitur δεδυκότος sejunctum esse a τοῦ ἀνθρώπου. Sed videtur illud ἄρτημα κορυφαῖον insertum a grammatico, qui crediderit illud καθαρώτατον cum re aliqua comparari, cujus tamen cum nomen in sententia deesset, hoc reddere Plutarcho voluerit. Sed ejecto hoc, et posita virgula post δεδυκότος, haec jam evadit sententia, quam non dubito, quin fuerit Plutarchi: *aliae foras relinquunt partem purissimam, non plane corpori superinductam, sed tanquam in superficie*

navigantem hominis tanquam in profundo submersi caput tantum attingentem, adtollentem, cum animus circa id erigatur, tantum (ejus), quantum paret, nec a corporis affectibus vincitur.

P. 592 C. ἀλγηδόνα καὶ πληγὴν οὖσαν ἐνθένδε τῆς ψυχῆς ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος καὶ ἄρχοντος ἐπιστομιζομένης. Legit Herwerd. pro ἐνθένδε ἐνδόθεν. Minus placet. Non enim erant Genii Platonicorum, quemadmodum conscientiae Christianae intra hominum pectus, sed ἄνω διαφερόμενοι (vid. p. 591 F.) in coelo, animas inde regebant. Dicere igitur poterat *Vox*, quae erat et ipsa in coelo: *animae* ἐνθένδε *reguntur.*

P. 592 E. οὐδὲν ἔτι γιγνώσκειν οὐδ' αἰσθάνεσθαι τῶν καθ' ἑαυτόν. Herwerd. τῶν κάτωθεν scl. τῶν ἐν Ἅιδου. Minus recte. Τὰ ἐν Ἅιδου enim Timarchus non viderat. Fuerat in coelo; ibique et alia multa viderat, et ὁδὸν ἀνατείνουσαν κάτωθεν ἐκ τοῦ Ἅιδου (vid. *p.* 591 *A*). Vide etiam, quae annotavi ad *p.* 585 *F.* Timarchus cum evehebatur in coelum, οὐ μάλα συνεφρόνει ἐναργῶς εἴτ' ἐγρήγορεν, εἴτ' ὠνειροπόλει, deinde sentiebat animam majorem fieri, expandi (vid. *p.* 590 *B.*). Nunc jam descendit, anima iterum comprimitur, *nihil animadvertit eorum quae ad se spectarent*, i. e. sibi paene conscius non est, deinde ad se redit, ἀναφέρει.

P. 593 C. τῶν γὰρ μάντεων οἰωνοπόλους τινὰς καλεῖ, καὶ ἱερεῖς, ἑτέρους δὲ τῶν θεῶν αὐτῶν διαλεγομένων συνιέντας, κτλ. Deleatur καὶ ἱερεῖς.

P. 596 F. τοῦ δὲ γραμματοφόρου φήσαντος ὑπὲρ τῶν σπουδαίων αὐτῷ γεγράφθαι, Τὰ σπουδαῖα τοίνον εἰς αὔριον, ἔφη. Locum mendum traxisse animadvertit jam Cobetus (*Mnem.* 1873, *p.* 382); delet τῶν. Herwerd. aut assentiendum censet Cobeto, aut legendum τινων. Vide tamen, ne assentiatur Herwerdeno ipse Plutarchus, qui in *Vita Pelop. C. X* hoc habet: περὶ σπουδαίων γάρ τινων γεγράφθαι. Καὶ ὁ Ἀρχίας μειδιάσας· Οὐκοῦν εἰς αὔριον, ἔφη, τὰ σπουδαῖα.

P. 597 F. καὶ τοῦ Κηφισοδώρου πεπτωκότος ἐν μέσοις αὐτοῖς, κτλ. Ante caeteros ibat Cephisodorus, hunc intra

januae postes subsequebatur Pelopidas, hunc iterum reliqui. Cephisodorus autem in ipso limine interfectus est, congressus est statim cum Leontide Pelopidas in ipsis thalami *θυραῖς στεναῖς οὔσαις*. Jam nemo intelliget, quomodo Cephisidori corpus *inter socios* jacere potuit, ibique eos impedire, quominus Pelopidae opitularentur. Sed jaciebat *ἐν μέσαις ταῖς θύραις*, ibique efficiebat, ut *τῶν θύρων στενότης*, per se jam satis molesta, accurrentes socios etiam magis impediret. Legendum igitur *ἐν μέσαις αὐταῖς*.

P. 598 A. *τὸ μὴ καθεστηκότα λαλεῖν αὐτῷ τὸν Φυλλίδαν, κτλ.* Fortasse *καθεστηκότα αὑτῷ sibi constantem.*

P. 598 E. *εὐθέως δὲ, οἱ μὲν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἐσημαίνον, οἱ δὲ κατ' ἄλλους τόπους, πανταχόθεν ἐκταράττοντες τοὺς ὑπεναντιούς, ὡς πάντων ἀφεστώτων, οἱ μὲν καὶ καπνίζοντες ** τὴν Καδαμείαν ἔφευγον κτλ.* Ὡς conjungi debet cum *ἔφευγον* vel cum alio verbo finito, quod lacuna interierit (sic Wytt.). Dicit igitur noster *eos signum cecinisse*, (*ita*) *ut inimici*, *cum* (*Thebani*) *omnes defecissent*, *ad Cadmeam confugerint.*

Sed neque conjunctio *ὡς* significatione *ita ut* conjungi solet cum verbo finito, neque ea tunc nocte deficiebant Thebani omnes. Vide *Xenoph. Hell. V*, 4, 9, et nostrum in *Vita Pelop. C. XII*, ubi hoc legimus: *οὔπω δὲ συνειστήκει τὸ πλῆθος· ἀλλ' ἐκπεπληγμένοι πρὸς τὰ γιγνόμενα καὶ σαφὲς οὐδὲν εἰδότες, ἡμέραν περιέμενον.* Locus igitur noster manifesto corruptus est. Tu tamen transponas *καὶ καπνίζοντες* ante *οἱ μὲν*, eaque mutes in *καὶ ἐκάπνιζον*, jam dictum erit: *signum cecinerunt in foro, et aliis in locis, undique proturbantes inimicos, quasi omnes Thebani defecissent* (in eam enim opinionem eos adducebant), *et fumum ediderunt.* Quae sententia neminem offendet. Lacunam expleas v. c. per *οὖν πρὸς*, — *οἱ μὲν οὖν πρὸς τὴν Καδμείαν ἔφευγον.*

THESES.

I.

Iuvenalis Satura VII scripta est aetate Domitiani.

II.

In verbis Iuvenalis (VIII, 202, 203):

damnat enim tales habitus, [et damnat et odit
nec galea faciem abscondit], movet ecce tridentem

hemistichia, quae uncis inclusi, spuria sunt.

III.

Versus Iuvenalis 194—199 ex Sat. VI tribus tantum hemistichiis transpositis sic legendi sunt:

Quotiens lascivum intervenit illud
ζωὴ καὶ ψυχή. *Quod enim non excitet inquen*
voc blanda et nequam? Digitos habet. Ut tamen omnes
subsidant pinnae, *modo sub lodice relictis*
uteris in turba. Dicas haec mollius Haemo
quamquam et Carpophoro, facies tua conputat annos.

IV.

Immerito Peerlkamp versus Horatianos 88 seq. ex Sat. 1 libr. I sic legit:

Nec si cognatos nullo *retinere* labore,
ut tibi dat *natura*, velis, *servaris* amicos.
Miraris sqq. (v. 86)

atque versus hosce:

Infelix operam *perdas*, ut si quis asellum
in campo doceat parentem currere frenis.

mutato *perdas* in *perdens* post finem totius Satirae transposuit.

V.

Rectissime Pideritius in verbis hisce Ciceronis (de Orat. I, 46, 202.): *eum virum, qui primum sit eius artis antistes, cuius cum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen esse deus putatur etc.* pro *esse* legit *adfuisse.*

VI.

Verba Ciceronis (*de Orat. II*, 41, 176.): *si vero assequetur, ut talis videatur, qualem se videri velit, et animos eorum ita efficiat, apud quos aget, ut eos, quocunque velit, vel trahere vel rapere possit, nihil profecto praeterea ad dicendum requiret*, immerito a Bakio transponuntur post §^{i} 184^{ae} finem; suo loco relinquenda sunt.

VII.

Fragmentum Pindari (Boeck 97)

ψυχαὶ δ' ἀσεβέων ὑπουράνιοι
γαίᾳ πωτῶνται ἐν ἄλγεσι φονίοις

ὑπὸ ζεύγλαις ἀφύκτοις κακῶν
εὐσεβέων δ' ἐπουράνιοι νάοισαι
μολπαῖς μάκαρα μέγαν ἀείδοντ ἔν ὕμνοις

poetae abjudicandum est.

VIII.

Verba Thucyd. (VI, 56, 3.): καὶ ἦν δὲ ἄξιος ὁ ἀγὼν κατά τε ταῦτα καὶ ὅτι οὐχὶ Ἀθηναίων μόνον περιεγίγνοντο, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων πολλῶν ξυμμάχων, καὶ οὐδ' αὐτοὶ αὖ μόνον, ἀλλὰ καὶ κτλ. aut sana sunt aut paene sana.

IX.

In verbis Thucydideis (VIII, 63, 2.): ὑπὸ γὰρ τοῦτον τὸν χρόνον καὶ ἔτι πρότερον ἡ ἐν ταῖς Ἀθηναῖς δημοκρατία καταλέλυτο. ἐπειδὴ γὰρ οἱ περὶ τὸν Πείσανδρον πρέσβεις παρὰ τοῦ Τισσαφέρνους ἐς τὴν Σάμον ἦλθον, τά τ' ἐν αὐτῷ τῷ στρατεύματι ἔτι βεβαιότερον κατέλαβον, καὶ αὐτῶν τῶν Σαμίων προτρεψάντων retinendum est ἐν ταῖς Ἀθηναῖς, legendum κατελύετο pro καταλέλυτο, retinendum προτρεψάντων.

X.

In verbis Platonis (Phaed. 112 C.): τοῖς κατ' ἐκεῖνα τὰ ῥεύματα διὰ τῆς γῆς εἰςρεῖ, delendum τὰ ῥεύματα.

XI.

Verba Diogenis Laertii (X, 63.): Ἔστι δὲ τὸ μέρος πολλὴν παραλλαγὴν εἰληφὸς τῇ λεπτομερείᾳ καὶ αὐτῶν τούτων, συμπαθὲς δὲ τούτῳ μᾶλλον ἢ κτλ. sic corrigenda sunt: Ἔστι δὲ λεπτομερὲς ..... συμπαθὲς δ' οὐδενὶ μᾶλλον ἢ κτλ.

XII.

In verbis Plutarchi (de Ser. Num. vind. p. 567 A.): ἀτελῆ περὶ τὸ ἄλογον καὶ παθητικὸν ἐπίπονον οὖσαν pro ἀτελῆ legendum est ἄτε δή.

XIII.

Verba Plutarchi (de Pythiae Oracul. p. 407 B.): ὡς τραγῳδίαν αὐτοῖς καὶ ὄγκον οὐδὲν δεομένοις προςθέντες sic corrigenda sunt: ὡς τραγῳδίαις αὐτοὺς καὶ ὄγκου οὐδεν ἐνδεομένοις προςθέντες.

XIV.

Verba Plutarchi (de Defect. Orac. p. 424 B.): εἰ δὲ καὶ βιάσαιτό τις αὐτὸν λόγῳ βίᾳ κινούμενον, ἄπειρον τολμῆσαι, sic corrigenda sunt: εἰ δὲ καὶ βιάσαιτό τις αὐτὸν λόγῳ βίᾳ κινούμενον τὸ ἄπειρον νοῆσαι.

XV.

Verisimilius est regionem Ophir Phoenicum sitam fuisse in Africa meridionali, quam in India.

XVI.

Immerito perhibet Mommsenus (Historische Zeitschrift von von Sybel T° 38° p. 1 seq.) Caesarem excogitasse aliquod systema, quod dicunt, militare, atque Augustum hoc deinde imitatum esse.

XVII.

Morum corruptela duobus prioribus saeculis aetatis Imperatoriae, licet sine dubio a scriptoribus, qui tunc vixerunt, exaggerata sit, tamen fuit permagna.

XVIII.

Praecipuus auctor divisionis Poloniae primae fuit Henricus regis Fredrici frater.

XIX.

Historia divisionis Poloniae primae eo evadit corruptior, quod tantam hoc negotium totius orbis terrarum movit indignationem. Imperfecte tamen haec divisio ab iis quoque explicatur, qui idcirco imprimis suasisse eam Fredricum II perhibent, ut pacem tueretur inter Russos et Austrios.

XX.

Immerito Jorissen in libro de Omwenteling van 1813, Stirumii constantiam atque audaciam ita laudat, ut Hoogendorpii partes in rebus novis adversus Franco-Gallos imminuat.

XXI.

Immerito ponunt historicorum praecipuum munus in legum, quas dicunt, investigatione.

XXII.

Historia et Grammatice rectissime dicuntur cum Geologia et Paleontologia paene unam efficere disciplinam.

XXIII.

Institutio nostra publica et media et inferior eo imprimis vitio laborat, quod justo major est institutionis materies. Metuendum est ne eodem vitio mox laboratura sit institutio quoque nostra superior in Gymnasiis.

XXIV.

Studia philosophica-naturalia, mathematica et geographica ad ingenium juvenum paulo juniorum excolendum plus valent, quam literaria et historica. In futuris igitur Gymnasiis non sic per classes distribuenda est institutionis materies, ut in classibus inferioribus pars maxima horarum tribuatur literis antiquis.

ERRATUM.

In toto meo libro pro omnibus literis j in vocabulis Latinis legas i.

3 0112 126249314

TRAIECTI AD RHENUM: TÝPIS J. VAN BOEKHOVEN.